

VITA ÆDUUARDI REGIS
QUI APUD WESTMONASTERIUM REQUIESCIT.

FROM MS. 526 IN THE HARLEIAN COLLECTION
IN THE
BRITISH MUSEUM.

BB 2

VITA ÆDUARDI REGIS QUI APUD WEST-
MONASTERIUM REQUIESCIT.

POETA.

- SURGENS Musa tuis comitata decenter alumnis,
Sopitum longa solve quiete larem.
Qui terras coxit Sol, a torrente retorsit
Mitis equos Cancro, orbe sub occiduo.
5 Succendens Chelas, ad tædia longa tenebras
Extendit noctis prodigus excubiis.
Longa quies calami dissolvit mentis acumen :
Canitiemque sui cera veterna dolet.
Nos tenues rebus dilapsis pluris egemus
10 Quos reparare solet spes tua ; surge, soror.

p. 1.
Prologue.
Dialogue
between
the Poet
and the
Muse.

MUSA.

- Asto pro foribus, limen custodia nostra
Servat, nec somnus nec sopor ullus adest.
Verum tu quem tot circum latratibus urget
Multorum livor, immoderate furens ;
15 Vel cujus miseri paupertas, libera certe,
Ictibus assiduus tundit utrumque latus ;
Miror quid dormis, tua vel tot commoda spernis,
Cum tibi nos fida suppeditemus ope :
Ergo neglectas post tempora longa tabellas
20 Cum graphio repetens, accipe quid jubeam.
Materies servata tibi condigna relatu,
Summis gesta viris, hactenus occuluit.

The Muse
exhorts the
Poet to
write.

Hanc assigno tibi sub primatu referendi ;
 Quisquis post temptet, sane secundus erit ;
 Ore tuo dicet, legati functus honore ; 25
 Aures huic pateant, cetera cuncta tibi.

POETA.

Sentio jam dudum quem me conaris ad usum,
 Intentum fieri officiosa monens :
 Tu, quæcunque voles, jubeas servire volenti,
 Si tamen ad laudes attineat dominæ, 30
 Cui me vovisti specialius, ac monuisti
 Ut nostros casus respiceret propius.
 Respexit miserans, miserata manum dedit, et sic
 Stare jubet, casum ne subeamus item.
 Compos promissi, fallacis nescia dicti, 35
 Dum vivit, certe vivimus ; id satis est.
 Illa pedes fixit, nos ut de morte reduxit,
 Et simul abjectos restituit calamos.
 Vovimus hos illi per secula sic famulari,
 Ut quicquid referant, laus et honor sit ei. 40
 Nunc dicenda doce ; simili, te præduce, voce,
 Discipuli studio, subsequar ut potero.

MUSA.

Et cujus laudi devotius organa nostræ
 Omne clientelæ personat obsequium ?
 Huic citharæ jubilos lyrico modulamine mixtos 45
 Intonat ipsa novis musica nostra modis ;
 Hanc Euterpe, Clio, Polymnia, concelebrando
 Gratificant mundo carmine perpetuo :
 Hanc tu, dum vivis, grandi merito celebrabis,
 Affectum cujus hac cumulamus ope. 50
 Vatribus exclusis, cessantibus atque poetis,
 Ædwardi regis carmine primus eris.
 Hunc dic Anglorum regem, forma speciosum,
 Corporis atque animi nobilitate bonum :

His subject
 to be the
 glory
 of King
 Edward:

- 55 Ejus ut adventu depresso secula luctu
 Aurea mox Anglis enituere suis ;
 Ut post bella David pax succedens Salomonis
 Lethæo gemitus pressit in amne graves,
 Undantesque suo diffudit prodiga regi
- 60 Divitias cornu copia munifico ;
 Ut procul, hoc vivo, tanto duce, rege, patrono,
 Hosticus absistat terror et ira tumens ;
 Floreat ut canis niveo candore venustis,
 Virtutis speculum, gratia multa Dei. p. 2.
- 65 Ipsius huic lateri depingis imperiali
 Quæ sociata viget, hæc tua spes et opes. of the
 Altera pars hominis, species eadem probitatis ; Queen,
 Altius ingenium, consiliumque¹ citum ;
 Convenit nusquam terrarum par sibi quicquam ;
- 70 Corpore nam gemino unus habentur homo.
 Hanc, licet affectum languentis posse relinquat,²
 Dices pro merito nobiliore stilo. and of her
 Ipsius inde patrem fidei pietate cluentem father
 Scribes Godwinum jura beasse ducum ; Godwin.
- 75 Ac velut Elysii fons unicus irrigat orbem,
 Progenitis ex se fluminibus quatuor,³
 Fetibus ut variis fecundent viscera terræ,
 Ac foveant proprio condita plura sinu ;
 Sustinet Anglorum pietas sic cœlica regnum,
- 80 Hoc duce progenitis pignoribus quatuor,³
 Quorum tum cordis, tum corporis inclita virtus,
 Diversis opibus sufficit imperium :
 Horum discreta serie dices probitatem,
 Quos actu proprio præstiterint titulos.
- 85 Carmine germano germanos plenius actus
 Alternans, operis ordine pone modum.
 I, ne continuo lædatur musica cursu,
 Interdum proso carmina verte gradu ;
 Pagina quo vario reparetur fessa relatu,
- 90 Clarius et pateat historiæ series. He is to
 write partly
 in verse
 and partly
 in prose.

¹ MS. *conciliumque*.² This line means, "Although loving one," i.e. "Though your ability is not equal to your love."³ MS. *quattuor*.

[POETA.]

Nil mihi gratius est horum quam dicere laudes
 A quibus et primum protegor a domina.
 Nunc accingamus, sed nobiliore cothurno;
 Utque mones proso tramite pergo viam.

Character
of Godwin.

VIRGA æquitatis Dei ubi quod sibi displicuerat in 95
 populo detersit per pressuram Danorum, regnumque
 cessit Cnuto regi vario eventu bellorum, inter novos
 adepti regni principes regio ascitos lateri, hic Godwinus
 cujus supra meminimus, cum consilio cautissimus, tum
 bellicis rebus ab ipso rege probatus est strenuissimus. 100

His ser-
vices,

Erat quoque morum æqualitate tam cunctis quam ipsi
 regi gratissimus, assiduo laboris accinctu incomparabilis,
 jocunda et prompta affabilitate omnibus affabilis. Vo-
 cantibus autem quibusdam regni competentibus negotiis
 regem in gentem suam,—absenti enim rebellare para- 105

and ho-
nours.

verant collo effreni ejus abicientes potentiam,—adhæsit
 comes individuus per omnem viam. Hic ejus pruden-
 tiam, hic laborum constantiam, hic virtutis militiam,¹
 hic attentius expertus est idem rex tanti principis
 valentiam, quam profundus eloquio, et si eum sibi 110
 artius asstringeret quovis decenti beneficio, quantæ
 commoditatis sibi foret in noviter acquisito Anglorum
 regno. Taliter ergo diutius probatum, ponit eum sibi

He marries
Cnut's
sister [-in-
law].

a secretis, dans illi in conjugem sororem suam. Unde
 cum repatriaret in Angliam, feliciter actis omnibus 115
 totius pæne regni, ab ipso constituitur dux et bajulus.²

p. 3.

Adeptus³ tanti honoris primatum non se extulit, sed
 omnibus bonis se pro posse patrem præbuit; quia⁴
 quam a puero addidicerat mentis mansuetudinem, non
 exiit; verum hanc, ut naturaliter sibi indita, erga 120
 subditos et inter pares æterna assiduitate excoluit.
 Undecunque emergent injuriæ, in hoc jus et lex

¹ This word was originally written *malitiam*, but has been altered into *militiam*.

² Bajulus; the first meaning of this word is *Portator*, *bearer*, as it occurs below, l. 464: thence it means *Pædagogus*. "Præsertim *Bajuli*

dicti qui filiorum principis educa-
 tioni præfíciebantur, quorum summa
 proinde in Palatio dignitas et aucto-
 ritas erat."—*Du Cange*.

³ MS. *adepti*, altered from *adeptus*.

⁴ MS. *quam*.

imprompta recuperabatur. Unde non pro domino habebatur, sed a cunctis patriæ filiis pro patre colebatur. Nati sunt ergo filii et filiæ tanto patri non degeneres, sed paterna et materna probitate insignes, in quibus nutriendis studiosius his artibus agitur, quibus futuro regno munimen pariter et juvamen in his paratur. Et quoniam circa id nostra versatur intentio ut supradictorum probitas posteros non lateat, succurrente nostræ descriptionis officio, hæc suo loco dicenda reservemus, quæque primum omittenda non sunt, enucleatius et succincte suo ordine dicemus.

Regnante supradicto Cnuto rege, floruit hic in ejus aula primus inter summos regni proceres; et agente æquitatis ratione, quod scribebat, scriptum, quod debebat, omnes censebant delendum. Et in hujus potentatus solio potenter vixit, donec et hunc regem et ejus totam stirpem, Ille qui regna pro libitu suo transfert, succidit. Succidit, inquam; quia in ejus semine reservavit, cui Anglici regni annueret virgam. Sed velut pater, flagellatis filiis jam pacatus, donaria quæ abstraxerat pie repræsentat, et ad se advocatis blandiens præstat; sic Dei pietas Anglis post gravem suæ corruptionis pressuram parcens, de antiquorum regum stirpe servatum florem ostendit, utque hunc et regno et salutem suam peterent, et vires præstitit, et animos accendit. Neque hoc tunc subito vel incerto casu dabatur, sed præmonstrante evidentibus oraculis Dei magna pietate, hoc ab omnibus petebatur. Nam quale prophetæ vaticinio dicitur: *Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te*¹; tale nimirum signum præstat et in hac re.

Antiqui regis Æthelredi regia conjuge utero gravida, in ejus partus sobole si masculus prodiret, omnis in conjurat patria, in eo se dominum expectare et regem, qui regeret universam² Anglorum gentem. In hac voce populi non dissonat vox et voluntas Domini, quod, licet aliquo temporum decursu differat, tamen in tem-

Birth of Edward.

¹ Jerem. i. 5.

² MS. *universum*.

pore salutis gloriosius agendum reservat. Natus ergo 160
 puer dignus præmonstratur patriæ sacramento, qui
 quandoque paterni regni sullimaretur solio, et præ-
 cedentium tempestatum turbinem sic suo sereno se-
 daret moderamine, ut pro pacis obtentu omnis illa
 p. 4. hostilis vastitas et incursio excederet memoriæ. Irru- 165
 ente vero Danica devastatione, puer deferitur¹ ad avos
 suos in Francia, ut cum eis ablactationis suæ trans-
 igit infantiam, vel potius ne tantæ devastationis
 absorbeatur fluctibus, et Anglis suis diu expect-
 atus non pereat parvulus. Defluxerat ergo jam grave 170
 tempus flendi, et ex gratia Dei imminebat jam diu
 exoptatum tempus miserendi, quo scilicet Dei pietas
respexit in preces humilium, et non sprexit gemitus
eorum, ut scriberentur hæc in generatione subsequen-
*tium, et populus qui crearetur laudaret Dominum.*² 175
 Dum hic fletus esset de desolato regni solio in populo
 Anglorum, flebat pariter Deo dilectus sanctæ memoriæ
 Brihtwaldus episcopus Uuiltunensium; flebat, inquam,
 et super talibus propitiari Dei petebat elementiam.
 Agebat tunc temporis excubias fletus sui in cœnobio 180
 Glestiniensi, fessusque post diutinas lacrimas soporem
 incidit hic vir Dei, cum ecce inter sancta sanctorum
 videt beatum Petrum, apostolorum primum, decentis
 hominis personam in regem consecrare, cœlibem ei
 vitam designare, regnique annos sub certo vitæ calculo 185
 determinare. Quem etiam hic poscentem de subse-
 quentis regni regnatura posteritate, hac edocet respon-
 sione; "Regnum," inquit, "Anglorum est Dei; post te
 providit sibi regem ad placitum suum."
 Coronation
 of Edward. Præeunte ergo gratuita Dei clementia, reducto diu 190
 afflictis Anglis barbarica servitute redemptionis suæ
 jubelæo, instat potissimum supradictus dux Godwinus,
 ut regem suum recipiant in nativi juris sui throno; et
 quoniam pro patre ab omnibus habebatur, in paterno
 consultu libenter audiebatur. Festivo itaque univer- 195

He is sent
to France.

Vision
of Bishop
Brihtwald.

Coronation
of Edward.

¹ MS. above *deferitur* inserts *vel* | ² Ps. ci. 18, 19 = cii. 17, 18.
transducitur.

- sorum tripudio¹ mittuntur post eum duces et episcopi. Ab his prospere adducitur, ab istis alacriter suscipitur, et solio sullimandus regali, Cantiaë in ecclesia Christi consecratur christus Dei, passimque applauditur ei tam
- 200 in servitutis quam in obauditionis² sponsione fideli. Laudatur a cunctis, regno stabilito in dominatu nativo, et in hac vicissitudine sollennes gratias Regi celebrant altissimo. Et non soli Angli, quibus divinitus hæc præstabatur gratia, verum congaudet ex vicina germanitate universalis Gallia. Cujus principes hac exhilarati fama, amica festinant legatis suis mittere mandamina, et tanti regis amicitiam expetere cum pacis gratia. Primus ipse Romanorum imperator Heinricus, qui et ejusdem Eaduardi regis sororem Gonhildam nomine
- 210 conjugem duxerat, exhilaratus quod eum in paterna sede inthronizatum didicerat, ad jungendas in invicem dextras legatos dirigit, munera imperiali liberalitate exhibenda mittit, et quæ tantos decebat terrarum dominos, pacem et amicitiam sibi suisque præstat et
- 215 petit. Rex quoque Francorum, item Heinricus nomine ejusdem Anglorum regis vicina carnis propinquitate consanguineus, eadem novitate plurimum jocundatus, legatis suis cum eodem exoptatum amicis utriusque pepigit foedus. Rex etiam Danorum, licet infinita
- 220 interfluentis Oceani³ longinquitate dirimatur, legatis tamen suis longo maris terrarumque circuitu defessis, pacem et dilectionem ejus precatur, patrem eum sibi eligit, seque ut filium illi in omnibus subicit, jussusque ab eodem Anglorum rege hanc sponsionem et sacramentis jurat, et obsidibus confirmat. Ceteri quoque eorundem regum tyranni³ et quique potentissimi duces et principes, legatis suis eum adeunt, amicum et dominum sibi suisque constituunt, eique fidelitatem et servitium suum in manus ponunt. Mittuntur singulis pro celsitudine sua ab ipso rege regalia munera, quæ ut nullius

His prosperity.

p. 5.

Embassies from the Emperor of Germany.

The King of France.

The King of Denmark.

Edward sends presents to the French nobles.

¹ tripudium, i.e. *gaudium*.

² MS. *occeani*.

³ Tyrannus, i.e. *Dominus feudi, baro*, said of any nobles.

quamlibet multiplex regis vel principis unquam æquaret munificentia, regum pulcherrimus et nobilissimus Anglorum rex Ædwardus facit eisdem Francorum principibus vel annua vel continua. In principio siquidem regni sui tanta divinitus donatur claritate et gratia, 235. ut quiescente in pacis quiete universali Britannia, cum adjacentium regnorum monarchiarumque angularibus insulis, videretur innovari in eo illud donativum divini muneris, quo[d] post bellicosum Davidis regnum terrores compescuit præliorum, et succedenti filio ejus 240. Salomoni in solio gloriæ pacis exhibuit regnum, ut, penitus extinctis omnibus contrariis motibus, in mansuetudine viveret, suos cum benignitate regeret, et universa mundi gloria et divitiis abundantius cunctis terrarum regibus exuberaret. 245

Peace of the country.

Edward's personal appearance and character.

p. 6.

Et ut statum sive formam ejusdem non prætereamus, hominis persona erat decentissima, discretæ proceritatis, capillis et barba canitie insignis lactea, facie plena et cute rosea, manibus macris et niveis, longis quoque interlucentibus digitis, reliquo corpore toto integer et 250 regius homo. Continua gravitate jocundus, humiliatis incedens visibus gratissimæ cum quovis affabilitatis. Si ratio aliquem suscicaret animi motum, leonini videbatur terroris, iram tamen non prodebat jurgiis. Cunctis poscentibus aut benigne daret aut benigne 255 negaret, ita et ut benigna negatio plurima videretur largitio. In frequentia vere se regem et dominum, in privato, salva quidem regia majestate, agebat se suis ut consocium. Causam Dei episcopis suis et ejus mysterii juris viris imponens, monebat ut secundum 260 agerent causam, seculi judiciariis principibus et palatii sui causidicis præcipiens ut juste discernerent, quatinus et probitas regiam defensionem, et malitia, ubi erumperet, suam cum æquitate haberet damnationem. Leges iniquas evellens, justas sapienti consilio statuens, 265 omnem Britanniam lætificavit, cui ex Dei gratia et hereditario jure pius rex præsedet.

- Laudibus exortis hinc grates concinat orbis,
 Et resonet mecum tua musica gaudia rerum ;
 270 Quæ lux de cœlo rutilans in rege novello
 Anglis illuxit, gemebundaque corda resolvit ;
 Has quoque comitias qua lætitia celebrarunt
 Festivi proceres, certatim dona ferentes,
 Agnovere suum regem, magnumque patronum.
 275 Multa dedere quidem, verum supereminet omnes
 Larga ducis probitas Godwini munere talis :
 Scapha gravis, longo laterum compage reducto
 Verticibus binis, sinibus stabat Tamesinis :
 Sedibus æquato numerosis ordine lato,
 280 A media navi despecto vertice mali,
 Centum bis denis aptata minacibus heris.¹
 Aureus e puppi leo prominet ; æquora proræ
 Celsæ pennato perterret corpore draco
 Aureus, et linguis flammam vomit ore trisulcis.
 285 Nobilis appensum pretiatur purpura velum,
 Quo patrum series depicta docet varias res,
 Bellaque nobilium turbata per æquora regum.
 Antennæ gravidus stipes roburque volatus
 Sustinet extensis auro rutilantibus alis.²

Verses on
 the presents
 given to the
 king by the
 barons, es-
 pecially by
 Godwin.

* * * * *
 290 et rei quam tractamus et eis quibus hac historia p. 7.
 famulamur.

- Felix prole pia dux, stirpe beatus avita,
 His quatuor⁴ natis dans Anglis pignora pacis.
 Prodit gemma prior, variæ prohibitatis amatrix,
 295 In medio regni, tanto duce filia patre
 Æd̄zit digna suo, regi condigna marito,
 Cujus consilio pax continet undique regnum,

Compari-
 son of God-
 win's four
 children
 with the
 four rivers
 of Paradise.

¹ *Heris* must be from *herus, mas-
 ter*, in spite of the false quantity. It
 may be defended by the expression
κόρησ ἀνάξ, Œsch. Pers. 378. Eur.
 Cycl. 86. But the two previous lines
 are very obscure.

² Compare this account with that

in Florence of Worcester, under the
 year 1040, who represents the ship
 as a present from Godwin to Har-
 decnut. This last is most probably
 the truth.

³ One leaf (at least) is lost here.

⁴ MS. *quattuor*.

- Atque cavet populus violent ne fœdera pacis.
 Sic de fonte tuo, Paradise, latentibus uno
 Derivas orbi signis in quattuor amnes 300
 Sufficenter aquas, vegetent ut viscera terræ,
 Atque statum vitæ foveant hominum pecorumque;
 Seque una laudant utero generata potenter
 Pignora dissimili partu generis variati
 Corpore, voce, loco, spatio quoque, tempore, motu. 305
 Aera conscendit pars hæc hærendo supernis,
 Spemque sui generis nido fovet arboris altæ;
 Illa profunda petit tranans inimica voratrix,
 Damna suæ stirpis faciens, truncumque parentem
 Pendit ab ore tenens, dum certo tempore vitæ 310
 Flatus vivificans animal de non animata
 Matre creat; studet inde suis resoluta rapinis.
 Felicem mundum, si¹ servent flumina cursum
 Quæque suum, proprias sic fecundantia terras
 Fœdere servato, statuit quod cœlicus ordo! 315
 Ridebunt² mediis candentia lilia campis;
 Capparus auricomis rutilabit in æquore cirris,
 Ver quoque purpureis decorabit³ prata ligustris,
 Aeris torvo spectabunt lumine quercus
 Subjectas late terras devictaque regna, 320
 Cum per mellifluos montes et prata gregatim
 Depascentur apes; salvo securo labore
 In laribus propriis jam nil, formica, timebis.
 p. 8 Quod si turbinibus commotis livor iniquus
 Ruperit hoc pactum, heu quanta ruina sequetur! 325
 Antiquumque Chaos rursus miser orbis habebit.
 Solventur celsæ rupta radice cupressi,
 Sublimesque ruent confracto vertice pinus,
 Alta cadet cedrus languentibus undique ramis;
 Et quæcunque sinu proprio pretiosa fovebat, 330
 Hic furor hostiles violenter capta per urbes
 Plenius ingratis cumulabit munera terris.

¹ MS. *fervent*.² MS. *videbunt*.³ MS. *decorabit^p*, i.e. *decorabitur*.

- Ordo narrationis hujus necessario expostulabat quædam superius expetere, ut textus subsequentiū a
- 335 necessaria non oberret veritate. Cum prædictus sanctæ Frenchmen memorizæ Ædwardus rex repatriaret a Francia, ex brought eadem gente comitati sunt quam plures non ignobiles into Eng- viri, quos plurimis honoribus ditatos secum retinuit land by idem rex, utpote compos totius regni, ordinariosque Edward.
- 340 constituit secretorum consilii sui, et rectores rerum regalis palatii. Inter quos convenerat abbas quidam Rodbertus Rodbertus nomine, qui trans mare monasterio præ- of Ju- fuerat Gemeticensi, quique potissimum, ut aiunt, regi mièges, semper astitit a secretis, ejusque consilio plurima tum Bishop of London.
- 345 digna tum indigna in regno contingebant, ut sese mundus habet eventibus variis. Emigrante autem episcopo Lundoniæ, regio favore successit hic in sede ejusdem pontificalis cathedræ, et suscepta tanti provectus auctoritate, immersit se altius quam necesse erat in dis-
- 350 ponenda regaliū consiliorum et actuum serie; adeo His in- etiam ut secundum quod dicitur, *Corrumpunt mores* fluence *bonos colloquia mala*,¹ ex assiduitate colloquiorum with the king. ejus rex cœpit post habere consilia utiliora. Unde etiam, ut vulgo fit, quam plures regni sui proceres
- 355 culpa offendit aliena, talibusque ex causis paulatim cœpit turbari ejus res publica, cum obeuntibus possessoribus suis evacuatas dignitatum sedes hi optarent suis, illi distraherent alienis. Dum sic regalis curia ea agitaretur tempestate, e seculo excessit Edzinus Death of
- 360 archiepiscopus Cantizæ. Adoleverat autem in eadem Archbp. Christi ecclesia, a tenero ungue monasticis educatus Edzinus disciplinis, ex supradicti ducis Godwini stirpe, quidam (A.D.1050). p. 9. monachus Aelricus nomine; vir scilicet secularis industriæ et plurima in mundanis rebus præditus sagacitate, Election of
- 365 non minus quoque in eadem dilectus congregatione. Aelricus Quem tam totius ecclesiæ universales filii, quam by the ipsius monasterii monachi, in archipræsulem sibi ex- monks of Canter- bury, and poscunt dari, huncque et affectu communi et petitione²

1 Cor. xv. 33.

| ² MS. *petitioni* altered from *petitione*.

petition to
the king
through
Godwin for
its con-
firmation.

The peti-
tion refused.
Rodbertus
Archbp.
of Canter-
bury.

Quarrel
between
the Arch-
bishop and
Godwin.

eligunt præesse regulari. Mittunt etiam ad supradic-
tum Godwinum, qui regio favore in ea dominabatur 370
parte regni, commonent eum generis sui, precantur ut
ex affectu propinquitatis regem adeat, et hunc utpote
in eadem ecclesia nutritum et secundum canonica in-
stituta electum sibi pontificem annuat. Promittit fide-
liter pro viribus suis dux inclitus, regemque adiens 375
innotescit petitionem et electionem ecclesiastici con-
ventus. Sed quia, ut supra diximus, pius rex aurem
magis accomodabat adversæ parti illis diebus, a conatu
petitionis suæ idem dux est repulsus. Rodbertus vero
Lundoniæ sede relicta, in Cantianam commigrat eccle- 380
siam, regis munere archiepiscopus, totius ecclesiæ filii
hanc injuriam pro nisu suo reclamantibus.

Compos tandem desiderii sui, idem archipræsul in
adepta summi honoris dignitate, cœpit eundem ducem
totis viribus et conatibus irritare et adversari. Et quia 385
apud regem pro reverentia ordinis supremi a secretis loco
stabat principali, frequentibus eum infestabat consiliis,
et a secundis expositum nonnullis interdum incommoda-
bat damnis. Accedebat autem ad exercendos odiorum
motus pro episcopo in causam justam quod terræ 390
quædam ducis contiguæ erant quibusdam terris quæ
ad Christi attinebant ecclesiam. Crebræ quoque erant
inter eos controversiæ, quod eum dicebat terras archi-
episcopatus sui invasisse, et in injuria sua usibus suis
eas tenere. Ferebat autem idem industrius dux incau- 395
tius furentem episcopum pacifice, tum pro regis honore,
tum pro gentis innato more, quod nihil agant festine
vel facile, sed ex consilio plurima visa præcipita-
tione per se expectant vel diffuere vel perire. Co-
quebat tamen vehementius quosdam suorum illa ducis 400
injuria, et nisi ejus obsisteret prohibitio, gravi episco-
pum persæpe multassent contumelia. Et licet hoc per
se evidentius expertus esset, non quievit tamen, sed
insaniæ insaniam addens, omni conatu regis animum
in illum evertibat, eumque dolo in regem irruere co- 405

nari ut quondam in ejus fratrem, credere persuadebat. p. 10.
 Quodque superius, materie non inferente, dictum non est, habuerat idem rex Aedwardus germanum fratrem
 Aelfredum nomine, qui, defuncto utrorumque vitrico
 410 rege scilicet Cnuto,—cum, agentibus Danis qui tunc temporis in regno potentes et factiosi habebantur, quidam filiorum ejus Haroldus, obliquo ut aiunt, sanguine, ei natus, successisset in regnum, homo ut ferter, insolens et non bonarum artium,—Britanniam cum armatis paucioribus Francis inconsultius ingressus, superque patrio regno adipiscendo cum ageret incautius, jussu prædicti regis perperam aiunt captum et ad mortem usque cruciatum; comites vero, ut aiunt, dolo exarmatos, quosdam interemptos, reliquos victoribus in servitium
 420 datos. Intendebat itaque, ut supradiximus, Rodbertus Archiepiscopus in aurem regis hoc scelus fraternæ necis et totius cladis suorum consilio actum esse ejusdem gloriosi ducis, quod eo quoque tempore, ut superius, regalium consiliorum erat bajulus,¹ persuadebatque in
 425 quantum poterat eum eodem modo etiam ipsius regis Aedwardi gnati sui perniciem intendere, effeceratque continua persuasione hoc certius quam par esset regem credere.

Death of Alfred, brother of Edward, attributed to Godwin by Rodbert.

Ergo perturbato rege de talibus plus justo, conve-
 430 nerunt de tota Britannia quique potentes et duces Glaucestræ regio palatio, ubique eo querimoniam talium habente, perlata est [in] insontem ducem tanti criminis accusatio. Quod ubi per quosdam fideles comperit, missis legatis pacem regis petivit, legem purgandi se
 435 de objecto crimine frustra prætulit. Nam adeo super hujus sceleris fide animum rex induxerat, ut nec verbum aliquod oblatæ purgationis audire posset. Convenierant siquidem eo Siwardus dux Northumbrorum, Dana lingua *Digara*, hoc est fortis, nuncupatus; Leo-
 440 fricus quoque dux, vir scilicet eximius, ut plurimum

Formal accusation of Godwin.

¹ Bajulus, i.e. *instructor*, v. note l. 116.

Deo devotus ; Alfgarus etiam ejusdem ducis Leofrici filius. Frustra ergo cunctis enitentibus ut fœda accusatio in legem transfer[r]etur judicii, ab eo palatio commigravit regalis curia Lundoniam. Dux quoque insons et fidens de propria conscientia semper immuni 445 a tanto scelere, e diverso adveniens cum suis, assederat extra civitatis ejusdem flumen Temesin, loco mansionis propriæ, unde item legationes mittens petiit ne præjudicium innocentia suæ inferretur a rege, agebatque se omnibus modis paratum ad satisfaciendum regi, et cum 450 jure et ultra jus, ad nutum voluntatis suæ. Elaborante ergo Stigando tunc quidem Wintoniæ solii¹ episcopo, p. 11. postea pariter Cantia archiepiscopo, qui etiam tunc medius ibat, procrastinata est judicii [dies]² dum rex suorum uteretur consilio. Instabat interim hostiliter 455 Rodbertus Archi[episcopus]³ ducis impedimento, eoque agente tandem a rege prolata est in ducem hæc indissolubilis causæ quæ agebatur diffinitio : *Illum scilicet a rege tunc primum posse sperare pacem, ubi ei reddidit vivum suum fratrem cum suis omnibus et quæ 460 eis viventibus³ vel interfectis ablata sunt cum integritate eorum.* At ubi dux ad impossibilitate[m] causam suam agentibus adversariis videt urgueri, flente nimium episcopo Stigando qui hujus legationis mœrens bajulus⁴ erat, reppulit a se mensam quæ astabat, equis ascensis viam 465 ad *Bosunham* maritimam celerius tetendit. Ibi ergo paratis navibus exulari coactus, dum fideliter et cum lacrimis petiit ut sic vitam et viam ejus in mari et in illo regeret exilio, quemadmodum fidelis fuerit domino suo Regi Aedwardo et immunis extiterit ab omnibus his 470 unde tantorum odiorum prodierit occasio. Postquam taliter peroravit innocentia suæ meritum, cunctis flentibus admodum cum conjuge et liberis et omnibus quæ illius erant ad manum, flante prosperiori vento pervenit

Flight of
Godwin.

He is re-
ceived by
Baldwin,

¹ MS. *solius*.

² The MS. is torn here.

³ MS. *vivū*.

⁴ v. note L 116.

- 475 ubi tendebat, ad antiquum Anglicæ gentis amicum comitem Balduyinum. Adhuc quoque non desistente archiepiscopo, verum ejus dementia agente, tota nocte subsequuntur a regis palatio quam plures armati, ut prædictum ducem interimerent, si intra regni terminos
- 480 posset comprehendi. Quod quia Dei pietas frustravit, in majorem insaniam eundem episcopum accendit. Nam ut ne qua pars prosapiæ ejus regio adhæreret lateri, ad parandam salutem rerum patriæ omne consilium intendit, ut etiam ipsa regina, ejusdem ducis filia,
- 485 dissociaretur a rege, contra jus religionis Christianæ. Cui consilio licet rex non obsisteret, moderatus est tamen causam divortii, hanc prætendens honestatem, ut Wiltunensi¹ monasterio, quo educata erat, præstolaretur tantorum turbinum regni quietem. Sic ergo cum
- 490 regio honore et imperiali comitatu, mœrens tamen perducitur ad septa cœnobii Wiltunensis, ubi per annum ferme in orationibus et lacrimis diem expectabat salutis. Qui dolor altius pervenit ad animam frequentibus palatinis, magisque læsit quam etiam discessus ipsius ducis.
- 495 Nec mirum; erat enim in omnibus regalibus consiliis, ut ita dicamus, moderatrix et quoddam principium totius honestatis, et quod regem deceret potissimum præferens [laud]ibus² et omnibus divitiis;

- [C]oncine, musa Soror, super his miserabile carmen,
- 500 Qualiter ille Dei vir, qui supra Paradisi
Limpidus est dictus fons, clarus corde fideli,
Turbidus extiterit Scyllæi sorde veneni;
Et cum nulla prius de tanto culpa reatu
Præcessit sceleris, cur pondus inhæserit illi.
- 505 Poena premit culpæ plures quam non meruere;
Clarius hinc meritum probat hos terrore repulso,
Et quanto quisvis devotior esse probatur,
Tanto majores pressuras ferre notatur.

Count of
Flanders.

Endea-
vours of
the Arch-
bishop to
procure a
separation
between
the King
and Queen.

The Queen
sent to the
Monastery
of Wilton.

p. 12.
Address to
the Muse.
Sufferings
of the
innocent
through
slander.

¹ MS. *Wiltunensis*.

² The MS. is torn here.

Num vitæ plenam meritis ad saxa Susannam¹
 Usque legis ductam, cum pura mente repulsam 510
 Quæsiti sceleris dederit? num præteris² illud
 Quod puer Hebræus, cœlesti munere³ fretus,
 Dum peccare timet, peccati munera⁴ perfert?
 Ipse Deus noster vera de Virgine natus
 Ad nos descendit sine crimine, non tamen absque 515
 Suppliciiis mundi, passus quam plura, recessit;
 Plena est tam novitas horum quam prisca vetustas;
 Sic fieri sæpe sunt exemplaria mille.

Godwin's
reception
by Bald-
win.

Marriage
of Tostin
with Ju-
thitta.

p. 13.
Flight of
Harold and
Leofric
into Ire-
land.

Popularity
of Godwin
in Eng-
land.

Susceptus est ergo inclitus dux Godwinus ab ipso
 comite Balduino cum magno honore, tum pro an- 520
 tiquæ fœderationis jure, tum pro multorum ipsius
 ducis beneficiorum vicissitudine. Acciderant hæc in
 ipsis nuptiis filii sui ducis Tostini, quando sortitus est
 uxorem Juthittam, neptem ipsius clarissimi regis
 Aedwardi, et sororem prædicti comitis Baldewini. 525
 Unde accidit, ut nimis indigne post calicem exul-
 tationis, poculum quoque ei propinaretur et mœroris.
 Porro filii ejus Haroldus et Leofricus tran[s]fretaverant
 [in] Hiberniam, ut, inde adducta militari copia, patris
 ulciscerentur injuriam. Contigit etiam hæc Anglici 530
 regni commotio circa Kalendas Octobris, hiematique
 sunt hi a comite Balduino in Flandriam, illi vero a rege
 Dermodo in Hiberniam. Et quoniam supradiximus
 eum ab omnibus Anglis pro patre coli, subito auditus
 discessus ejus exterruit cor populi. Ejus absentiam 535
 sive fugam habuere perniciem suam, interitum gentis
 Anglicæ, excidium insuper totius patriæ. Unde felicem
 se putabat qui post eum exulari poterat. Quidam post
 eum vadunt, quidam legationes mittunt, paratos se, si
 velit reverti, eum cum violentia in patria suscipi⁵, pro 540
 eo pugnare, pro eo, si necesse sit, velle se pariter
 occumbere. Et hoc accitabatur non clam vel privatim,

¹ MS. *Sussannam*.

² MS. *præterit*.

³ MS. *munera*.

⁴ MS. *munere*.

⁵ *In patriam suscipere* would seem to be the true reading.

- sed in manifesto et publice, et non modo a quibusdam
 sed pæne ab omnibus indigenis patriæ. Et cum tanto
 545 totius regni peteretur affectu et desiderio vir spectabilis
 fidei et virtutis et tanto lacesitus obprobrio; mittit
 tamen adhuc pacem et misericordiam petere a rege
 domino suo, ut sibi liceat cum ejus gratia ad se pur-
 gandum legibus venire coram eo. Hoc quoque pro
 550 ejus dilectione et suo officio missis legatis suis, rex
 petit Francorum, et ipsum cum quo hiemabat idem
 persuadebat marchio Flandrensium. Sed et illi hoc
 suggerebant satis frustra; obstruxerat enim pias regis
 aures pravorum malitia.
- 555 At ubi videt se strenuus dux perperam labefactari,
 et iniquorum factione sibi ad nullam juris legem
 accessum dari, memor antiquæ virtutis et tot labo-
 rum pristinæ juventutis, mediante proxima æstate,
 parata multiplici classe in fluvio Hysara, profundum
 560 invadit æquoris et flante prospero a medio Oriente
 vento, portum subigit Britannici littoris. Occurrunt
 omnes quotquot navi poterant Orientales sive Aus-
 trales Angli, occurrunt, inquam, omnes ei, sicut filii
 suo diu exoptato patri. Quo tempore eadam fama
 565 concitati, occurrunt ei ad Hiberniam duo prædicti
 filii sui cum magna manu navali, et ab ipsis Occi-
 dentalium Britonum sive Anglorum finibus usque quo
 dux consederat, ferro, igne, et abducta præda omne
 regnum sunt devastati. Fit magna invicem lætitia
 570 patris et fratrum se mutuo conspicientium, et de exactis
 laboribus et periculis suis ad invicem reverentium.
 Pelagus operiebatur carinis, cælum densissimis re-
 splendebat armis. Sic tandem mutua ex hortatione
 militibus confirmatis, permensio Cantix, ut aiunt,
 575 mari, longo navium ordine alveum intrant Temesis
 fluminis.¹
- Audito itaque rex ejus violento et absque ejus nutu
 in regnum suum ingressu, quanquam fidem referen-
 tibus non accommodaret, tamen cum militari copia
 580 qua poterat Landoniam venit, utque acri erat animo

His at-
tempts at a
reconcilia-
tion with
Edward.

Godwin
collects a
fleet, and
lands in
England.

His sons
invade
England.

p. 14.

The king
comes to
London
with a
military
force.

¹ MS. *fluminibus*.

et promptissimæ strennuitatis, ingressum civitatis qua tendebat, prohibere temptabat. Sed omnis civitas duci obviam et auxilio processit et præsidio, acclamantque illi omnes una voce prospere in adventu suo. Et quoniam facultas undique superiores vires amminis- 585 trabat, hortabantur quam plures, ut etiam in ipsum regem irruerent. Verum fidelis et Deo devotus dux verbis et nutu admodum abhorruit: "Dum," inquit, "fidelitatis suæ in corde meo habeam hodie testem, me scilicet malle mortem, quam aliquid indecens et 590 iniquum egerim, vel agam, vel me vivo agi permittam in dominum meum regem." Et ab hujusmodi conatu fortiter perturbatis omnibus, viso rege protinus abjectis armis ejus advolvitur pedibus, orans suppliciter ut in Christi nomine, cujus signiferam regni coronam ges- 595 tabat in capite, annueret ut sibi liceret purgare se de objecto crimine, et purgato pacem concederet gratiæ suæ. Rex itaque coactus tum misericordia et satisfactione ducis, quem utique videbat sibi satis, si uti vellet, superiorem armis, tum vero destitutus imprimis 600 fuga archipræsulis et suorum multorum verentium aspectum ducis, qui scilicet auctores fuerant illius concitati turbinis, devictus quoque precibus supplicantium, redditis armis suis, cum duce in palatium processit, ibique paulatim defervente animi motu sedatus, sapi- 605 entium consilio usus, duci osculum præbuit, offensas omnes donavit, gratiam quoque suam tam sibi quam omnibus filiis suis integre annuit. Modico exinde interfluente tempore mittitur æque regio, ut par erat, apparatu ad monasterium Wiltunense, et ut fugatis imbrum 610 sive tempestatum condensis nubibus redditur cœli serenitas, vel jocundus splendor solis, sic ab omni motu sedato regno, reducitur regina, ejusdem ducis filia, ad thalamum regis. Unde post tam grande malum absque sanguine sedatum ducis sapientia, sollennis celebratur 615 lætitia tam a palatinis quam ab omni patria.

Loyalty of
Godwin.

Reconcilia-
tion of
Godwin
with Ed-
ward.

Peace of
the coun-
try.
The queen
brought
back.

p. 15.
Godwin's
conduct to
Edward

Tu quoque pange modos versu saliente canoros,
Læta diu mecum pro tanto fœdere rerum.
Sic fortis David, sic regi parcere novit,

- 620 Spiritus ille Dei nequam quo tempore regi
 Infestus sævit, cithara pulsante recedit.
 Quod co[m]plexus opus, servit citharista decorus,
 Et feriente lyra refugit vexat[io] dira.
 Regius inde gener devicit bella potenter,
- 625 In thalami pretium sternens præputia gentum,
 Qua belli pallaia¹ regis delectus in aula
 Præstat primatum referens a rege secundum.
 Cui dum crevit honor, concrevit undique livor ;
 Ex probitate sui tenduntur pluribus uni
- 630 Insidiæ vicibus, quas miles vitat avitus,
 Auctior adque fugam, petat aut si res sibi pugnam.
 Ergo timens fraudem latitat, sed livor eandem
 Sæpius innectit profugo. Deus at pie munit,
 Inque manus illi regem ligat. Ille favori
- 635 Devotus tanto, decernit parcere christo :
 Millibus armatis loca per suspecta locatis,
 Quærit idem David, rupes quem concava claudit.
 Hanc, causa ventris moti Saul ipse, latentis
 Quem jugulare parat, solus rex nescius intrat.
- 640 " Ecce dies si vis," inquit manus addita David,
 " Qua datur ulcisci tibi jam super hoste furenti
 In te. Ne jugulum tardes huic, exere ferrum ;
 Si per te non vis, en nos." " Nolit Deus," inquit,
 " Ut christum domini disperdat dextera nostri.
- 645 State procul jubeo, citius desistite cœpto ;
 Nos hunc non capimus, sed nos probat arbiter altus.
 Inque sui christo devotior esse probabo.
 Morte sui mortis² ruat aut hostilibus armis,
 Et nos insontes conservet dextra Tonantis."
- 650 Hæc ubi dixit, clam conscidit clamidis oram.
 Tutior inde David post tergum³ clamat euntis,
 Seque potestatem necis invenisse perorat.

compared
with
David's to
Saul.

¹ i.e. *πάλαια*. These lines would be in English, "Where chosen in the ancient halls of the king, he stands forth conspicuous bearing military honours, second only to the king."

² Sic MS. If *morti* be read for *mortis*, the line may be construed,

"Let him rush to death by suicide or hostile arms;" i.e. if *morte sui* can mean suicide; *sua* for *sui* may possibly be correct, supposing the scribe's eye to have been caught by *sui* in the previous line.

³ MS, *postergum*.

Tendit item per castra viam diffusa ; sepulto
 Rege sopore gravi, solo comitante Abysai,
 Et compos vitæ regis parat ille ferire ; 655
 Sed perturbat item fideique docet pietatem,
 Ne sub eo pereat, quem crismatis unctio sacrat ;
 Ecce manu fortis David ad scandala mortis
 Horruit in regem, pacem complexus eandem.

p. 16.
 Death of
 Godwin.

Reconciliatis ergo duce et ejus filiis cum rege, et 660
 omni patria in pacis tranquillitate conquiescente, se-
 cundo post hæc anno obiit idem dux felicitis memoriæ,
 exequisque suis in luctum decidit populus, hunc
 patrem, hunc nutricium suum regnique, memorabant
 suspiriis et assiduis fletibus. Tumulatur ergo condigno 665
 honore in monasterio, quod nuncupant veteri[s] Wintoniæ,
 additis in eadem ecclesia multis ornamentorum muneri-
 bus et terrarum redditibus pro redemptione ipsius
 animæ. Subrogatur autem regio favore in ejus ducatu
 filius ejus major natu et sapientia Haroldus, unde in 670
 consolationem respirat universus Anglorum exercitus.

He is suc-
 ceeded in
 his duke-
 dom by his
 eldest son,
 Harold.

Virtute enim corporis et animi in populo præstabat
 ut alter Judas Machabæus, amicusque gentis suæ et
 patriæ vices celebrat patris intentius, et ejusdem
 gressibus incedit, patientia scilicet et misericordia, et 675
 affabilitate cum benevolentibus. Porro inquietatis,
 furibus, sive prædonibus, leonino terrore et vultu mina-
 batur gladiator justus. Nec multo post tempore oc-
 cubuit etiam moriens Northumbrorum dux Sipardus,
 cujus meminimus supra, sepultusque est in ea quam ipse 680
 a fundo construxerat in beati Olavi regis et martyris
 [nomine] ecclesia.² Agentibusque amicis potissimum
 autem et pro merito hoc ejus fratre Haroldo duce et
 ejus sorore regina, et non resistente rege ob innumera

Death of
 Siward,
 duke of
 Northum-
 berland.

Tostin suc-
 ceeds to his
 dukedom.

ipsius fideliter acta servitia, ducatum ejus suscepit Tos- 685
 tinus, vir scilicet fortis et magna præditus animi saga-
 citate et sollertia. Et quoniam occasio se intulit, de
 his duobus fratribus vitam et mores actusque eorum
 notitiæ subsequentiū pro captu ingenioli nostri inno-

² MS. ecclesie.

- 690 tescere cupimus. Quod non agere velle non putamus absque re: tum pro operis serie, tum ut exempla imitabilia habeant ii qui in eorum successerint posteritate. Uterque satis pulchro et venusto pollebat corpore et, ut conicimus, non [in]æquali robore, non disparis au-
- 695 dacix. Sed major natu Haroldus procerior statura, Character of Harold. patris¹ satis infinitis laboribus, vigiliis, et inedia, multa animi lenitate et promptiori sapientia. Multum obloquia perferre, nam non facile prodere, non facile quoque, et in civem sive compatriotum,² ut reor, nusquam, ulcisci.
- 700 Cum quovis, quem fidelem putaret, interdum communicare consilium operis sui, et hoc interdum adeo differre si debet duci,³ ut minus conducibile a quibusdam videretur fore suæ commoditati. Porro de vitio præcipationis sive levitatis, quis hunc vel illum sive
- 705 quemvis de Godyno patre genitum sive ejus disciplina p. 17. et studio educatum arguerit? At dux Tostinus et ipse Character of Tostin. gravi quidem et sapienti continentia, sed acrior paulisper in perseguenda malitia, virili præditus et indissolubili mentis constantia. Consilia animi sui prius
- 710 per se plurimum perspicere et eorum seriem ordinare, perspecto ex rei æstimatione exitus fine, et hæc cum quovis non facile communicare. Interdum quoque in his adeo factiosus caute, ut actus ejus videretur consilium prævenire, et hoc in mundi theatro illi sæpius
- 715 contingebat prospere. Cum largiretur, liberali effundebat munificentia, et frequentius hoc hortatu religiosæ conjugis suæ in Christi fiebat honore, quam pro aliquo hominum labili favore. In dicto vel facto suo sive promisso adamantinæ dinoscebatur stabilitatis, propter
- 720 eandem regiæ stirpis uxorem suam omnium abdicans voluptatem, coelebs moderatius corporis et oris sui pru-

¹ This passage is corrupt; it is possible to understand it by reading *procerior statura fratris, datus infinitis laboribus, vigiliis et inedia. Satis* cannot be correct, unless a word or two be lost.

² Sic MS. Another instance of this form, *compatriotos*, will be found

in Muratori, *Rer. Ital. Script.*, T. xi. col. 27, which is referred to by Du Cange.

³ This must also be corrupt. If *debebat* be read for *debet*, it might mean, *if it were of necessity protracted*.

denter regere consuetudinem. Inceptum suum uterque satis constanter arguere; sed hic fortiter, ille sapienter, hic in actu suo consum[m]ationem, ille intendebat pariter et felicitatem. Uterque interdum quædam simulare 725 adeo egregie, ut qui eos non noverit, incertius nil æstimare poterit. At ut legentibus de eorum moribus dicatur tota summa, nulla ætas, nulla regio ejus pretii duos mortales eodem educavit tempore. Quod attentius considerans rex, eis sic in regno suo locatis omni 730 vita sua securus utroque vixit latere, cum hic hostes repelleret a meridie, ille terreret ab aquilone. Juniores quoque Gyrth, quem supradiximus, immunem non passus est idem rex a suis honoribus, sed comitatum ei dedit in ipso vertice Orientalis Angliæ et hunc 735 ipsum amplificandum promisit, ubi maturior annos adolescentiæ exuerit.

Gyrth.

Pilgrimage to Rome of Harold.

At ille superior mores, consilia, et vires Gallicorum principum,¹ non tam per suos quam per se, scrutatus, astutia et callido animi ingenio et diuturniori cum pro- 740 crastinatione, intentissime notaverat quidem, [ut] in eis habitaturus esset, si eis opus haberet in alicujus negotici administratione. Adeo quoque consilio suo exhaustos pernoverat, ut nulla ab eis relatione falli posset. Attentius ergo considerata Francorum consuetudine, 745 cum ipse quoque apud eos non obscuri esset nominis et famæ, Romam ad confessionem Apostolorum processit, ibique potenti² munificentia veneratus sanctorum limina, per medios insidiantes cautus derisor more suo Dei gratia pervenit ad propria. Alter quoque felici 750 mentis intentione cum Fausta uxore et juniore fratre suo Gyrth (eodem quem paulo superius diximus) transfretavit et per Saxoniam et superiores Rheni fines Romam tetendit. Et quæ lingua vel quis sermo digne explicabit quanta devotione et munificentia singula 755 sanctorum loco in eundo vel redeundo veneratus sit? Romæ ab apostolico Nicholao honore quo decebat susceptus, a latere ejus in ipsa Romana synodo ab eo

p. 18.
Pilgrimage of Tostin and Gyrth.

¹ MS. *principium*.

² MS. *potenti*.

- coactus sedit secundus. Venerat autem in ejus comi-
 760 tatu Aldredus Pirensis¹ civitatis episcopus; tunc vero a
 piissimo rege Aedwardo Eboracensi Archiepiscopatu
 donatus, ut ibi scilicet et regiae legationis causam
 peroraret, et usum pallii optineret. Perscrutatus ergo
 qualiter ad sacros accessisset ordines, eo gratuito confi-
 765 tente inventus est, a primo ordinationis suæ episcopo
 ad alium² commigrasse contra canones. Unde apostolicis
 et pontificalibus decretis examinantibus et omni synodo
 censente a petitione sua repulsus, non solum usum
 pallii non optinuit, verum ab episcopatus gradu dejectus
 770 in hac confusione recedere habuit. Venerant quoque
 pariter ex præcepto regis duo ipsius presbiteri, Gyso et
 Walterius, viri in officio suo aptissime et excellenter
 eruditi, ut a domino Papa ordinarentur episcopi.³ Qui
 feliciter et ad votum suum actis rebus cum pariter
 775 redirent a Roma, in latrones incidunt eadem die, dis-
 poliatique et deprædati, quidam etiam nudi, coacti sunt
 retrorsum redire. Ibi tunc quidam adolescens Gaius
 patricius nomine, de ejusdem regis Aedwardi genere,
 miles vero et comes in eadem via prædicti ducis Tos-
 780 tini, satis strennue egit in fidelitate domini sui. Nam
 cum iret aptioribus indumentis ornatus, ut eum pro
 nobilitate decebat, in ipsa peregrinantium fronte, inter-
 rogatus a latronibus quis eorum esset comes Tostinus.
 Ille autem continuo cujus officii essent coniciens, se
 785 esse aiebat, et duci nutu quo poterat ut recederet in-
 nuebat. Creditur pro ornatu vestium et situ corporis
 ut erat egregii, et sic cum reliqua præda abducitur spe
 satis inani. Ut vero ex remotiori discessu ducem in
 tuto suspicatus est, perscrutatusque de variis rebus,
 790 tandem se non esse quem putaverant comprehendisse
 confessus est; licet in prima rei agnitione vitæ ejus

Aldredus, Arch-
 bishop of
 York, goes
 to Rome
 in order to
 obtain the
 pall.

The pall is
 refused,
 and he de-
 prived of
 his arch-
 bishoprick.

The com-
 pany, on
 their de-
 parture
 from Rome,
 attacked by
 robbers.

Device of
 Gaius
 to save
 Tostin.

¹ Pirensis, i.e. *Wirensis*, of Worcester: as above, v. 679, Sipardus.

² MS. *aliud*.

³ Gyso was Bishop of Wells from 1061-1088, and Walterius of Hereford till 1079. This is the same ex-

pedition as that mentioned by Aelred and the author of the French Poem, see v. 2324. Its object is there stated to be, to obtain a confirmation from the Pope of the privileges of Westminster.

minitarentur¹ periculum, postremo tamen liberius quibusdam rem quam fecerat tractantibus, non solum abire permittitur, verum etiam apud eosdem militares magno pretio et laude assignatus, suis propriis rebus donatus, 795 et cunctorum votis prosequentibus in pace conviatur. Quodque supra intermisimus, cum causa Aldredi episcopi dux in Romaprehendinaret diutius, uxorem suam et omnem regiae dignitatis suae comitatu[m] prae-miserat cum suis majoris numeri hominibus, et hi processera[n]t pros- 800 pere, ignari omnium quae contigerant subsequentibus.

p. 19.

Aldredus is restored to his archbishoprick, and receives the pall.

Confuse ergo et miserabiliter reversis Romana pietas indoluit, veritusque dominus Papa maxime clarissimiducis petitionem, praesertim et rememorans gratuitam episcopi confessionem et eam quam sibi intulerant in 805 degradatione humiliter susceptam confusionem, consultus a Romanis patribus, ne et deprædate et insuper confuse a beati Petri pietate spectabiles personae in tanto recederent mœrore, lætificavit omnes in episcopi reconciliatione et dato pallii honore, ut scilicet in regno suo 810 in ejusdem apostoli persisterent ampliori fidelitate et veneratione. Ducem autem consolatus est caritativa allocutione, ablati insuper magnis xeniis ex beati Petri largitate, sicque auctum apostolica absolutione et benedictione cum omnibus dimisit in pace. Reversisque 815 per longa interjacentium terrarum et interpositi æquoris spatia ad sua propria, congavisa est omnis Anglica, benedicens dominum qui ducit et reducit suos confidentes in sua custodia.

Return of the expedition to England.

The quarrel between Harold and Tostin reminds the author of the banquet of Thyestes, which he proceeds to describe.

Hi duo nubigenæ clarissima pignora terræ, 820
 Roboris Herculei, felicia robora regni
 Præstant Angligenis unito foedere pacis;
 Atque fide veterum partito pondere cœlum
 Sustinet hinc Athlas, illinc Cyllenius heros,
 Ne ruat inferius, subsidat et undique, tellus; 825
 Hi sic Angelici junctis duo viri[bus] Angli
 Servant Angligenos sub eodem foedere fines.
 Quid super his geminis turbato felle minaris,

¹ MS. *imitarentur*.

- Infelix fortuna, nimis livore gemello
 830 Thebanis accingta rogis hinc inde ministras
 Funereas intenta faces furialibus armis?
 Heu discors vitium fraternis cladibus ortum;
 Non pudet urgueri super aucto pondere leti¹
 A primogenito primæ genitricis ab alvo
 835 Mollius infectam germano sanguine terram:
 Tu tanto gravius celas hoc crimine vulnus,
 Quanto non aliam sed carnem scindis eandem,
 Ultra quam valeat fari mala sive putari
 Præis omne nefas. Caput es in corpore culpæ
 840 Tu, gravis ira Dei, tu, detestatio cœli,
 Flamma prior barathri, succendis scandala mundi.
 Tu post crimina sex pietatem septima lædis
 Altius, errores per se quæ diluit omnes.
 Priscis nota satis tua sic contagia ludis.
 845 Invidus hic prolis fraternæ foeda Thyestes
 Prandia dat fratri depasto corpore nati;
 Et licet ipsa fides nondum conscenderit orbem,
 Monstrans quid frater fratri, quid amicus amico,
 Proximus inde suo quid debeat, hic tamen error
 850 Credidit esse scelus, testatur sidera cœli,
 Et pariter cœlum nigra fuligine tectum,
 Conscia ne tanti sceleris sint: concio diva
 Horrui has epulas; et tum pro crimine pœnas
 Multiplicant meritis, brachium concordia reddit
 855 Tegmine non carnis sed eburnei fortius ossis,
 Quod pie servavit dum non mandenda notavit.
 Fit Pelops redivivus homo per jussa deorum,
 Insons transfertur cœlestibus. Inferus illos
 Rupibus accensis pœnaliter occupat ignis.
 860 Hæc quoque tempestas scindit nequissima flammæ
 Fratribus impositis per mutua vulnera lapsis.
 Hæcine gentilis sine re descriperit error?
 Doctrinæ plenum figmentum tale probatur;

p. 20.

¹ MS. *letii*.

	Hanc cladem reprobatur scriptura vetus, nova damnatur, Atque caret venia fratris diuturnior ira.	865
	Pro dolor enormis si tantos ¹ riserit orbis Fœdere sejunctos! Succurre, deifica custos, Sancta fides lotis baptismate, crismate tactis Infer signa crucis, Herebique fugetur Erinys. Tuque ² boni fomes primi, via prima salutis,	870
p. 21.	Nos con[n]ecte tibi per vinc[u]lla fœderis almi, Sedans pace tua, mater, concordia sancta, Ne de pignore regali seu stirpe fideli Ignis perpetuam stipulam sibi rideat hostis Collegisse suis incendia longa favillis.	875

Character
and habits
of Edward.

Regno igitur his principibus undique confirmato, benignissimus rex Aedwardus vitam agebat in securitate et quiete, plurimumque temporis exiebat circa saltus et silvas in venationum jocunditate. Divinis enim expeditis officiis quibus libenter quotidiana³ intendebat devotione, jocundabatur plurimum coram se allatis accipitibus vel hujus generis avibus, vel certe delectabatur applausibus multorum motuum canibus. His et talibus interdum deducebat diem, et in his tantummodo ex natura videbatur aliquam mundi captare delectationem. Cetera vir Deo voluntarie deditus in squalore mundi Anglorum vivebat, et accepto tempore quam⁴ assidue esset in Christiana religione strenue manifestabat. Abbates religiosos et monachos, potissimum autem transmarinos, quos devotius atque strictius Deo cognoverat inservire, quam benigne susceperit, quam humiliter se eis in colloquio junxerit, et a se redeuntibus, quanta munificentia se illis effuderit, quæ lingua vel quæ pagina secundum rei veritatem et numerum explicaverit? Hoc omni tempore quo regnavit frequentabat, et quia hoc eum velle fama ubique diffuderat, hujusmodi hospitalitatem non frequentem modo, sed continuam

¹ *Tanto* must be read for *Tantos*,
but I cannot understand the line.

² MS. *Tu q̄*: i.e. *quoque*.

³ MS. *codiana*.

⁴ MS. *quas*.

- agebat. Tales quoque abbatibus et monachis regni sui in exemplo esse ut pius pater monebat, quibus recentior
 900 et ob hoc minus stricta monastica religio pervenerat. Inter ipsa divinorum mysteriorum et missarum sacrosancta officia agnina mansuetudine stabat, et mente tranquilla cunctis fidelibus spectabilis Christicola, inter quæ, nisi interPELLARETUR, rarissime cui loquebatur.
- 905 Ipsa quoque regalium ornamentorum pompa qua ex officio regis uxoris suæ ambiebatur, tacite et temporaliter, utique satis expresse dictum sit, nulla animi delectatione utebatur, et non curaret quicquam si non tanto sumptu illi administrarentur. Officiositatem
 910 tamen ipsius reginæ gratam in talibus ducebat, et quibusdam familiarioribus sedulitate ejus in plurimas gratias cum quadam mentis benignitate annotabat. Pauperibus et corpore debilibus multa condescendebat misericordia, et tales quam plures non solum quotidie
 915 in sua regali curia, verum per plurima regni sui loca p. 22. ad necessaria vitæ habebat dispendia. Postremo in Habits of the queen. quibuscunque bonis ipse præire parabat, regia conjunx eum non retrahebat, sed potius ad proVectum anteriorem hortabatur, plerumque etiam ipsa¹ præire videbatur. Nam cum ipse interdum daret, illa largiebatur, et honestate hanc intendebat largitionem, ut ad regis quoque plurimum spectaret honorem. Cui cum ex more et jure regia sedes assidue pararetur a regis latere, præter ecclesiam et regalem mensam malebat ad
 925 pedes ipsius sedere, nisi forte manum illi porrigeret, vel nutu dexteræ juxta se ad sedendum invitaret sive cogeret. Mulierem, inquam, cunctis nobilibus matronis sive regis et imperatoris dignitatis personis in exemplo virtutis et honestatis anteponendam, tam ad
 930 Christiani cultus religionem² quam ad mundi dignitatem servandam. Quibus cum tanta in terreno regno arri-deret prosperitas, interdum tamen ex quorundam

¹ MS. *ipse*.² MS. inserts *ad* before *religionem*.

rebellium insidiis non levis pulsabat adversitas. Non tamen ea quæ sub tanto rege regnum debilitare[n]t, quippe quam citius per supradictos germanos duces, 935 suos scilicet nutricios, aut sedaret, aut bellica virtute contereret. Insurrexerunt enim uno ferme tempore hinc rex Occidentalium Britonum Griphinus, illinc rex Scottorum nomine barbarus. Prior vero agente Haroldo duce Anglorum exercitum frequenter victus, 940 postremo autem est interfectus. Sed hanc historiam, quoniam prolix[i]or est et varie multiplex et longis evolvenda relationibus, ad certiolem notitiam ex industria reservamus. Et quia his qui in hujus narrationis textu ex pondere illati laboris et singularitate indu- 945 triæ suæ a nobis promittitur describi non modice sollicitudinem nostro cordi,¹ non levi quoque labore vel brevi relatione demonstrari potest ad satisfactionem lectorum, res studiose et laboriose gestas pleniter scire volentium. Alter vero primum a Sipardo duce 950 usque ad internicionem pæne suorum devictus, et in obscenam fugam est versus; secundo ducatum agente duce Tostino cum eum Scotti inte[m]ptatum haberent, et ob hoc in minori pretio habitum latrocinio potius quam bello sæpius lacesserent; incertum genus hominum 955 et leve, silvisque potius quam campo, fugæ quoque magis fidens quam audaciæ² virili in proelio, tam prudenti astutia quam virtute bellica et hostili expeditione cum salute suorum prædictus dux attrivit, ut cum rege eorum delegerint ei regique Aedwardo 960 magis servire quam rebellare, id quoque per datos obsides ratum facere. Hujus etiam historiæ seriem scribere nunc supersedimus; dum ad ejus evolutionem vacare donaverit indago certior et competens tempus. Omittere autem omnino vita comite et hanc et su- 965 periorum ad utrorumque ducum gloriam et honorem nequimus, quia ex eorum merito præcedente plurimum

Insurrec-
tion and
defeat of
Griffith,
king of
Wales.

Defeat of
[Macbeth]
king of
Scotland.

p. 23.

¹ This sentence is confused, the author having apparently mixed up several different constructions. ² MS. *audacia*.

eis debemus. Redeamus interim ad regem Aedwardum
 ejusque regiam conjugem Aedgith, cui potissimum nunc
 970 hac famulamur descriptione præcedenti, et quanto
 studio devotionem fidei suæ exhibuerint in ecclesia
 Christi pro posse et nosse nostro explicemus, adjuvante
 gratia et propitiatione Dei.

Extra muros urbis Lundoniæ supra prædictum am-
 975 nem Temesin erat monasterium in honore beati Petri, Restora-
 tion of
 Westmin-
 ster.
 parvo quidem opere et numero, paucioribus ibi con-
 gregatis monachis sub abbate in servitio Christi; res
 quoque eorum usibus a fidelibus datæ tenues et ipsæ
 erant in amministrazione victus quotidiani. Intendit
 980 ergo Deo devotus rex locum illum, tum vicinum famosæ
 et opulentæ urbi, tum satis apricum ex circumja-
 centibus fecundis terris et viridantibus prædiis, atque
 proximo decursu principalis fluvii a toto orbe ferentis
 universarum venalium rerum copiosas merces subjectæ
 985 civitati, potissimum autem ob amorem principalis
 Apostoli quem affectu colebat unico et speciali, eligit
 ibi habere sibi locum sepulchri. Præcipit deinde ex
 decimis omnium redituum suorum initiari opus nobilis
 ædificii, quod deceret Apostolorum principem, quatinus
 990 propitium sibi pararet¹ Deum post hujus vitæ cursum
 labilem, et pro gratia pietatis suæ et pro oblatione
 prædiorum et ornamentorum quibus eundem locum dis-
 ponit nobilitare. Ad regis itaque præceptum opus
 nobiliter cœptum feliciter præparatur, nec impensa sive
 995 impendenda pensantur, dummodo Deo et beato Petro
 dignum et acceptum probetur. Principalis aræ domus
 altissimis erecta fornicibus quadrato opere parique com-
 missura circumvolvitur; abitus autem ipsius ædis
 dupplici lapidum arcu ex utroque latere hinc et inde
 1000 fortiter solidata operis compage clauditur. Porro crux
 templi² quæ medium canentium Deo chorum ambiret, et
 sui gemina hinc et inde sustentatione mediæ turris
 celsum apicem fulciret, humili primum et robusta

¹ MS. *pararet*.² i.e. *The transepts and choir*.

fornice simpliciter surgit, cocleis multipliciter ex arte
 ascendentibus plurimis tumescit, deinde vero simplici 1005
 muro usque ad tectum ligneum plumbo diligenter
 tectum pervenit. Subter vero et supra disposite
 educuntur domicilia, memoriis Apostolorum, martyrum,
 confessorum, ac virginum consecranda per sua altaria.
 Hæc autem multiplicitas tam vasti operis tanto spatio 1010
 ab Oriente ordita¹ est veteris templi, ne scilicet interim
 inibi commorantes fratres vacarent a servitio Christi, ut
 etiam aliqua pars spatiosè subiret interjaciendi vestibuli.

p. 24.

Restora-
 tion of
 Wilton by
 the queen.

At vero solus rex non operaretur; ad æmulationem
 ejusdem Deo acceptæ intentionis thori ejus consocia 1015
 probabilis regina protrahitur. Prosequitur et ipsa e
 vestigio affectum regis affectu suo, devotionemque
 cordis sui in sancta ecclesia probat et ipsa in suæ
 educationis loco: Wiltuni enim tunc temporis licet
 cœnobium esset ancillarum Christi, chorus² quoque 1020
 non minus antiquitatis veteri[s], ibique competenter
 locata veneraretur ejus æquivoca sancta Aedgith, de
 cujus progenie idem rex Aedwardus descenderat, lignea
 tamen adhuc illic ecclesia stabat. Nullum siquidem
 locum magis æstimavit meritum devotionis suæ labore 1025
 et studio, quam eum quam meminit elaborasse in sui
 documento, et ibi potissimum eas virtutes addicit,
 per quas, ut Anglorum regina fieret, idonea inveniri
 meruit. Nusquam quoque credidit elemosinam magis
 iri salvam, quam ubi infirmus sexus et minus in 1030
 ædificiis efficax altius penuriarum sentit angustiam,
 et minus per se ad hanc proficit pellendam. Quod
 clementius intendens per se, utpote qui per spiritum
 Dei misericordiæ visceribus affluebat, hic regio opere
 lapideum monasterium inchoat ferventiusque instans 1035
 operarios maturat. Contendunt hinc rex, illinc regina,
 contentione Deo grata, in invicem quoque non in-

¹ MS. *orditum*.² MS. *chorum*.

- jocunda. Sed hoc tanto citius ad perfectum surrexit, quanto a sapiente regina moderatius ceptum. Nulla
 1040 enim mora huic perficiendo innectitur, sed brevi elabente annorum curriculo, omnibus tanto operi necessariis et condecensibus, regio simul decore et honore nobiliter consummatur. Ad cujus dedicationem prope agendam moras non patitur benedicta virago;
 1045 verum ad hanc celebritatem die statuto præmonitoque ad hoc opus Herimanno ejusdem dioceseos clarissimo et competenter erudito pontifice, sumtus qui necessarii essent parat intentissime, cum ecce diabolus invidus, persecutor totius voluntatis bonæ, ne ad perfectum
 1050 prodiret, quod bene tractatum est, conatur perturbare. Nam brevi ante constitutum diem tempore flammæ prædicto inicit oppido, et quicquid parati illic erat cum omnibus pæne domibus præter illud templum vasto concrematum est incendio. Sed hæc diabolica
 1055 illusio non terruit mentem fidelis feminae, nec retraxit ab ea, quam intenderat, sacri propositi perfectione. Acceleratis vero aliis amplioris opulentiae sumptibus, cum magna episcoporum, abbatum, monachorum, clericorumque multitudine, ceterorumque fidelium concursu
 1060 dedicationis celebritatem perficit devotius, novamque Dei sponsam munerat novis et regia celsitudine condignis largitionibus. Et quoniam idem monasterium amœnum occupat locum, in ejus Deo dedicata celebritate novæ Dei nuptæ cum musica symphoniarum melodia
 1065 typicum concinamus epit[h]alam[i]um.

Fire at
Wilton.

p. 25.

- Inclita mater, ave, prolem paritura beatam,
 Quam dum concipies, nulla maculabere culpa,
 In cujus partu nullum patiere dolorem,
 Nec numero rara mœrebis de genitura,
 1070 Intereatve tuo quisquam de ventre creatus;¹
 Sed jungere tuo per fœdera casta marito,
 Æterno sociata Deo complexibus almis :

A typical
epithalamium
on
the occasion
of the
dedication
of Wilton.

¹ MS. *creatam*.

Cujus fusa tua sata cœlica germen in alvo
 Vivificante suo reddunt de flamine sancto ;
 Nec partu maris lætabere sive puellæ ; 1075
 Sed centum populis cunis circumdata mille,
 Non quorum fletu tribulentur viscera matris,
 Sed quibus angelicas clare modulantibus odas
 Vel pulsu citharæ toto resonabis in orbe :
 Cum pro defectu non sollicitabere lactis, 1080
 Nempe dator vitæ dives genitor Deus ipse
 De cœlis escas pluit, hos ut in æthere pascas.
 Nec te de numero tædet, vexantve labores ;
 Sed magis exoptas tot jugiter his super addi.
 Tempore nec tardo tardam profers genituram, 1085
 Decursis longo tot mensibus ordine pigris.
 Quotidie potius celebras natalia multa,
 Certe cara tuo, quia sic fecunda, marito.
 Sed nec tot natis habitacula tot variabis,
 Ne cogere pati caros a te segregari, 1090
 Sed magis inlata fulchris renitentibus aula
 Te coram melius discumbet læta juvenus,
 Quam speciosa tuæ reseras hæc claustra tabernæ.
 Hæc desiderat omnis homo conamine toto ;
 Huc est carnis iter, huc, cordis amor, pie tendis, 1095
 In te lætari cupiens vitaque potiri.
 Hic passer mitis quærit sibi tecta quietis,
 Turtur item modicis nidos parat anxia pullis.
 O Deus æterne, felices terque quaterque 1100
 Qui resident partæ per celsa palatia vitæ.
 Vir felix ille, cui perveniet favor abs te.
 Hic bene dispositis gradibus de valle doloris,
 Tendit ad alta Syon regemque videre supremum ;
 Præsta[t] hic una dies mundanis mille diebus ;
 Hisque manens domibus cunctis habitantibus unus 1105
 Divitias regum spernit per secla potentum ;
 Quod qui præsidet his, clemens justusque probatur,
 Datque suis sanctis totam summam pietatis,
 Insontesque bonis summi non privat honoris
 Virtutum Deus, in quo speret quisque beatus. 1110

Ps. lxxxiii.
 = lxxxiv.

- Acta ergo hujus ecclesiæ consecratione in beati monachorum patris et institutoris Benedicti honore, anno domini millesimo sexagesimo quinto ad justitium totius patriæ, hæc regni subsecuta est perturbatio. Erat
- 1115 eodem tempore supradictus dux Aquilonalium Anglorum Tostinus in curia regis, diutiusque commoratus est cum eo, ejus detentus amore et jussis in disponendis regalis palatii negotiis, cum interea quorundam nobilium factione quos ob nequitias suas gravi preserat dominatus sui jugo, conjurant in invicem in ejus præjudicio. Nec mora; domum ejus invadunt, milites ejus, qui ex inproviso aufugere nequeunt, interficiunt, postremo omnia quæ ejus erant igne et ferro in devastatione redigunt. Utque efferæ temeritatis haberent
- 1125 auctoritatem, caput sibi et dominum faciunt ducis Alfgari filium juniorem, ejusque fratrem natu majorem ad hanc societatem dementiæ suæ invitant; quod inter eos regiæ stirpis pueros et eundem ducem Tostinum ex veteri simultate odio erant. Nullus ergo
- 1130 modus fit in occasione; rapitur hic et ille ad necem etiam pro familiari odio cujusque. Quemcunque odio sui ascriperat quisvis ejus contubernii, aut manifesta violentia aut ex insidiis jubetur interfici. Fit cædes multorum in Eboraca, vel Lincolnia civitate, in plateis,
- 1135 in aquis, in silvis, et in viis. Quicumque poterat notari quod de ejus aliquando fuerit curia, ad necis cruciatum trahitur absque controversia. Et quæ tam diu in tranquillitate pacis quieverat clarissimi ducis rigore et justitia, in familiare sui excidium versa est
- 1140 tota illa regio paucorum nobilium malitia. Nam antequam idem dux ejusdem regionis ducatu ex dono regis potiretur, licet antecessor ejus dux Siwardus ex feritate judicii valde timeretur, tamen tanta gentis illius crudelitas et Dei¹ incultus habebatur, ut vix triginta
- 1145 vel viginti in uno comitatu possent ire, quin aut interficerentur aut deprædarentur ab insidiantium latro-

Consecration of the church, A.D. 1065.

Conspiracy of certain nobles, who make a son of Alfgarus their leader.

p. 27.

Slaughter at York and Lincoln.

¹ MS. *de*, having been previously *dei*.

num multitudine. Quos pacis deificæ filius et amator eximius dux adeo illo adtenuaverat tempore, patriam scilicet purgando talium cruciatu vel nece, et nulli quantumlibet nobili parcendo qui in hoc deprehensus 1150 esset crimine, ut quivis solus etiam cum quavis possessione ad votum possent commeari, absque alicujus hostilitatis formidine. Ejecto autem eo, ad vomitum reversi sunt veteris malitiæ, amissoque freno disciplinæ, furorem adoriuntur majoris insanix. Nam conglomerati 1155 in infinitum numerum, more turbinis seu tempestatis, hostili expeditione perveniunt ad *Axoneuorde* op[p]idum, satis scilicet pervagati ultra mediæ Angliæ terminum. Rex vero Eadwardus, vir Deo dignus, putans indomitum vulgus solita sedare sapientia, pia per legatos illis 1160 mittit mandamina, ut scilicet quiescerent ab incepta dementia, et jus legemque reciperent de omni quam in eum demonstrare possent injuria. Deo itaque regique suo rebelles, sprete pietatis legatione, remandant regi aut eundem ducem suum citius a se et a toto 1165 Angliæ regno amitteret, aut eos in commune hostes hostis ipse haberet. Cumque benignissimus rex item et tertio missis legationibus eos ab insana intentione diverso consiliorum conatu amovere temptaret, nec perficeret, a silvestribus locis ubi more suo causa assidux 1170 venationis morabatur, secessit ad *Bretheuorde* regium vicum, oppidoque regio Wiltuni proximum. Accitisque undique regni primatibus, habebat ibi consilium quid super tali negotio esset opus. Culpabant nonnulli eundem gloriosum ducem nimix feritatis, et magis amore 1175 justitiæ inquietos punisse arguebatur cupiditati invadendæ eorum facultatis. Dicebatur quoque, si dignum esset credere, fratris sui Haroldi insidioso, quod absit, suasu, hanc dementia contra ducem suum aggressos esse. Sed ego huic detestabili nequitix a tanto principe 1180 in fratrem suum non audeo nec vellem fidem adhibere. Ipse tamen dux Tostinus coram rege ejusque frequentibus palatinis publice testatus hoc illi imposuit, sed ille citius ad sacramenta nimis (proh dolor) prodigus,

The rebels demand the dismissal of Tostin.

p. 28.

Accusations against Tostin.

Harold is supposed to have suggested them, though the author expresses his disbelief in this.

- 1185 hoc objectum sacramentis purgavit. Multotiens ergo a rege per legatos consulti cum non adquiescerent, sed potius incepta dementia amplius furerent, ferro disponit eorum contumacem proterviam compscere, commotis regali edicto universis totius reliquiis Angliæ. Sed quia
 1190 ex asperiori hieme jam tunc aeris incumbibat inæqualitas, tum non facile erat ad contrariam expeditionem sufficientes educere exercituum copias, et quia in eadem gente horrebat quasi bellum civile, instabant quidam ferventem regis animum sedare, et ne expeditio
 1195 procederet suadere. Obluctatique diutius regem proficisci volentem non tam avertunt, quam eo invito perperam deficiunt. Quo dolore decidens in morbum ab ea die usque in diem mortis suæ ægrum trahebat animum. Contestatusque Deum cum gravi mœrore
 1200 ipsi conquestus est quod suorum debito destitueretur obauditu ad comprimendam [iniquorum superbiam, Deique super eos imprecatus est vindictam.

- At regina, quæ hinc dissidio confundebatur fratrum, illinc regis mariti impotentia destituebatur, cum con-
 1205 silio, quo potissimum ex Dei gratia eminebat si audiretur, non perficeret, lacrimis suis præsentibus futurorum malorum plenius edocebat, quibus inconsolabiliter fuis totum palatium in luctum deciderat. Irruentibus enim ante id aliquibus adversis, ipsa præsidio adesse solebat,
 1210 quæ et adversa cuncta efficaci consilio depelleret et regem ejusque frequentelam serenaret. Nunc vero peccatis exigentibus re in contrarium lapsa, ex visis præsentibus quique futura colligebant mala. At Deo di-
 1215 sua multipliciter donatum mœrens nimium quod in hanc impotentiam deciderit, a se dimisit. Qui brevi post tempore mœrentem matrem et quosdam amicorum affectus cum conjuge et lactentibus liberis plurimaque nobilium suorum manu transfretavit, et ad antiquum
 1220 Angliæ gentis amicum comitem Balduinum pervenit. Hujus eximii principis fides et potentia tunc temporis pensabatur præcipua super omnes qui principari vide-

Distress of the Queen.

p. 29.

Dismissal of Tostin. He takes refuge with Baldwin, Count of Flanders.

Power and influence of Baldwin.

bantur in Francia. Quæ attentius in eo expertus rex Francorum Henricus, ejus consilio et viribus attriverat rebelles suos quosque in finibus suis. Obiens autem 1225
 He is made Regent of France. tenerioris ætatulæ filios suos ei nutriendos reliquit, regnumque Francorum, dum illi in viros adolescerent, in ejus tutela commisit. Quod tunc temporis tanta curabat diligentia ut res monarchiæ suæ affligeret, illis ex suo sumptus amministrans regali affluentia. Susceptum ergo sororis suæ maritum honorifice et gratanter more suo, jussit morari et quiescere a tot laboribus in castra quod ex nomine beati Audomari inibi principaliter quiescentis nuncupatur, quod præcipuis diebus sollemnis ejus curia ibi conveniat, Britanniciæque oceanum¹ 1230 permensis primum occurrat. Hic ergo ei et domum et mansionem dedit, redditus ejusdem castri ad victus necessaria ei in manus posuit, suoque loco et vice præsidentis servituti quosque militares eidem oppido adjacentes adesse præcepit. Contigit hoc ante ipsum Dominici natale paucis diebus, cum mox intra ipsos natalicios dies idem Deo carus rex Ædwardus ex contracta animi ægitudine languescens obiit quidem mundo, sed feliciter assumptus est victurus cum Deo. 1240

Verses on the civil war between Harold and Tostin.

p. 30.

Quid, rogo, quid scribis tot circumsepta [tenebris],² 1245
 Celsa Clio, regum saucia morte ducum?
 Quo sunt tot promissa mihi tua ditia rerum
 Ordine? Nempe operis omne decus periit.
 Quicquid ad ornatum calami collegimus ambo,
 Dispersit nobis fraus inimica nimis. 1250
 [E]heu quid dices? vix sane decentia verba
 Repperies, arto³ undique septa loco.
 Dictabas pueros regum de stirpe decenter
 Moribus instructos omne boni specimen;
 Et columen regni studio crevisse virili, 1255
 Elysii quatuor fluminibus similes;
 Et nunc Thebaidos fœdo sub schemate carmen
 Hoc opus horrenti discipulo retegis.

¹ MS. *oceanum*. ² A word is omitted by the scribe. ³ MS. *arta*.

- 1260 Rebar principium lepidum deducere textum
 De nimio caris corde meo dominis;
 Nunc hostile nefas in fratrum viscera torrens
 Confundit lætam carminis historiam.
 Emathium juriis¹ civile peste regressum
 Heu germana nimis pectora dura tulit.
- 1265 Nec Paradysiacos virtutum cursibus amnes,
 Infernale chaos sed magis hic memoras;
 Usque sub extremum devoti codicis unguem
 Rebamur sanctam dicere progeniem.
 Nunc, ut prisca canunt, fetæ telluris in alvo
- 1270 Gentibus insertis prodiit horrida stirps;
 Nata neci subitæ, gravis et proportio dira
 Nobis invisæ, proh dolor, id tamen est.
 Quis canit occiduos modulator in orbe Britannos,²
 Gentem Caucasæis rupibus ingentam,
- 1275 Indomitam fortemque nimis regnante Griphino,
 Nec jam contentam finibus Occiduis?
 Ultra sed sceleris cursum tulit arma Syverne,³
 Vimque ejus regnum pertulit Angligenum.
 Donec præclari meritis [in] nomine regis⁴
- 1280 Ædwardi jussis erubuit sceleris,
 Cum volucres Angli sub Haroldo præside juncti
 Tostini cuneis agminibusque citis⁵;
 Tunc usque in pavido terrore milite multo
 Flammis et ferro cominus incutiunt.
- 1285 Qui licet in pretio variæ probitatis avitam
 Prodiderit famam militiæ celebris,
 His tamen est veritus conferre manum nimis impar
 Congressu, longe abdita quæque petens.

Griffith
advances
beyond the
Severn.

His defeat
by Harold
and Tostin.

p. 31.

¹ Sic MS. There seems to be an allusion to Lucan, I. 1. "Bella per Emathios plus quam civilia campos." But I am unable to understand or correct the passage. Probably *furiis* should be read for *juriis*.

² MS. *Britannos*. Of the meaning of the two previous lines, 1271, 2, I have no idea.

³ Read *Ultra sed sceleris cursu tulit arma Syvernem*.

⁴ It is possible to construe these lines, *Until by the well-merited commands given in the name of the renowned king Edward he was made to blush for his wickedness*. But this (as well as the word inserted in 1279) is very doubtful.

⁵ MS. *scitis*.

- Gnarus inaccessis scrobibus se credere miles,
 Tutius hostiles inolet unde acies, 1290
 Saltibus et scopulis fretus regione maligna,
 Sic vexat longa lite duces geminos,
 Qui non expertes rationis in ambigua re
 Uno profligunt interitu patriam.
 Diruitur inimica domus, redimita supellex¹ 1295
 Diripitur, prædæ regia pompa patet.
 Hinc reduces Angli clara cum laude triumphi
 Sub tantis ducibus hoc retulere decus.
 Nam fractis ratibus quarum par non fuit usus
 Hujus vel regnum oceanique² ducum, 1300
 Proram cum puppi, pondus grave scilicet auri,
 Artificum studio fusile multiplici,
 Ædwardo regi donant sua signa trophæi,
 Direptas gazas nobiliumque vades.
 Quis canet æquoreo vastum fervore tumentem 1305
 Humbram congressum regibus æquivocis?
 Sanguine barbarico per milia multa marinos
 Tinxisse³ fluctus, flente polo facinus,
 Quis demens scribet? quo mens languescit et horret
 Auditus, tanti fama pudet sceleris. 1310
 Et cui nunc scribam? Reginaë quippe sorori
 Non placet hæc talis pagina plena necis:
 Eheu quid dicam cunctis desertus amicis,
 Ut vacuo solus domate pellicanus?
 Proscribam tabulas, et te, quæcunque magistra 1315
 A puero nobis sumpsimus auxilio.

MUSA.

- Hic mæror ratione caret; dementia mentem
 Impedit, et luctus nescit habere modum.
 Te propius nostris admovit nostra papillis 1320
 Delectum pietas, amplius ut biberes,
 Altius et sapires non a ratione dolere.
 Sed pressus nostro vincere consilio;

A trophy
sent to Ed-
ward taken
in the war
with Wales.

An allusion
to the
battle of
Stamford
Bridge.

p. 32.
The poet
is com-
forted by
the Muse.

¹ MS. *suppeller.*
² MS. *oceanique.*

³ MS. *Cinzisse.*

- Nempe manent quæcunque tibi promisimus ; ordo
Evolvendus adhuc nobilior superest.
- 1325 Quæque manent dicenda, decent, et gloria rerum
Est in præconio Numinis ætherei.
Si non describis hostilia bella Griphini,
Vel busam¹ vetitum corporibus fluere,
Scribes Ædwardum forma merit[oque]² decorum,
- 1330 Quæ vivens gessit, quæ moriens retulit.
Scribes reginam primo tibi subvenientem,
Et quicquid scribes, laus et honor sit ei.
Ejus honore fuit quod, quæ supra titulatur,
Dicere malebas, cumque velit repetes.
- 1335 Quod fratres ejus vel ei vicina colebas
Ejus amore fuit et bene promeruit.
Scribere ne cesses. Leget atque relecta resolvet,
In lepidis scriptis nec monitoris eget.
Gratior est illi nec pagina codicis ulla,
- 1340 Ædwardum quam quæ continet eximium.
Num meminis quod eum patrem tibi sæpe loquendo
Nuncupet, et natam quam pie se referat ?
Si tabulas nostras, et cetera, meque magistram
Reicis inmeritam, hic tibi casus erit.
- 1345 Nec jam repperies qui te totiens relevabit,
Et tot dona feret, prædia talia det.
Num recolis supra nostra suadentia dicta,
'Ædwardi regis carmine primus eris ?'
Hic codex ejus gestis describitur, illi
- 1350 Reginæque die³ hunc voveo titulum.
Hic quibus hunc signis pietas manifesta Tonantis
Prodiderit vivum carne sibi placitum,
E quibus in tumulto pausantem vivere cælo
Declarat fidei continuis precibus ;
- 1355 Mente serenata paulo plus incipe supra,
Officioque stili sane placebis ei.

The
Queen's
(Edith)
kindness to
the author.

Dedication
of the
work to the
Queen.

¹ Busa. Belgice *busse* vel *buysse*,
tubus, canalis. *Du Cange*.

² MS. *meriti*.

³ Sic MS.; possibly *hodie* may be
read.

POETA.

Pareo suadenti, nimium sed corde dolenti,
Tot tantisque miser orphanus a dominis.

Character
of Edward.

Ergo quoniam ad scribendum obitum ejusdem gloriosi regis pervenimus, de superiori ejus vita prius aliqua succinte dicamus. Felicissimæ mentionis rex **1360** *Ædwardus* ante natalis sui diem Deo est electus, unde ad regnum non tam ab hominibus quam ut supra diximus, divinitus est consecratus. Cujus consecrationis dignitatem sanctam conservans castimonia, omnem vitam agebat Deo dicatam in vera innocentia. Quam **1365** Deus in holocaustum acceptionis approbans, ex affectu intimo eum fecit carum hominibus et venerabilem cum supernis civibus. Nam sicut bonis et idoneis viris contestificantibus comperimus, his in hac corruptibili **1370**

Cure of a
scrofulous
woman.

vita signis glorificavit eum Deus. Juvencula quædam jam maritum sortita, sed nullo maritali fructu jocundata, patiebatur circa fauces et sub ipsis maxillis quas ad similitudinem glandis nuncupant glandulas, quæ ita totam faciem corruperant morbo et nimio fœtore, ut **1375** vix alicui loqueretur absque grandi confusione. Hæc somnio edocetur, quia si a rege *Æduardo* aqua lavaretur, ab illa infestissima lue sanaretur. Ergo doctrinam somnii cum certitudine manifestat fidei, quo rex audito non dedignatur infirmo adesse sexui. Erat **1380** dulcissimæ mentis et cunctis poscentibus plurimæ affabilitatis. Allato aquæ vase rex manum intingit, porrectisque digitis faciem mulierculæ et contacta morbo loca perungit. Hocque agens frequentius iterat; interdum etiam cruce signat. Et mirum in modum **1385** mira dicturo credite. Liniente rege morbus medicatus a crusta mollescit et solvitur, ducenteque manu e diversis foraminibus vermes¹ plene cum sanie et sanguine egrediuntur. Item pius rex sancta dextera promens, et educens saniem, nec abhorret in infirma **1390**

p. 34.

¹ MS. *vermibus*.

- muliere hunc pati foetorem, donec medicante manu omnem illam noxiam elicuit pestem. Lubet deinde eam quotidie regia stipe ali, donec integre restitueretur sanitati. Vix in curia perseptimanat, cum Dei gratia
- 1395 *detersa omni obscenitate eam venusto decore informat. Et quæ prius vel ob eandem vel aliam infirmitatem sterilis erat, eodem anno et marito fecunda exitit, et deinceps vixit cunctis cohabitantibus non injocunda. Quod licet nobis novum videatur, hoc eum in adoles-*
- 1400 *centia cum esset in Neustria quæ nunc Normannia nuncupatur, sæpius egisse Franci testantur.*

- Quidam etiam cæcus somno suasum sibi astipula- A blind man re-
 batur, quia si ex aqua qua rex manus abluisset cæca stored to
 ejus facies lavaretur, et cæcitatem pelleret et amissum sight.
- 1405 *lumen induceret. Quod ad aures ejus a secretis ei famulantibus pervenit, qui primo eis contradicens et increpans quod hoc crederent verum esse, instanter poscentibus ne Dei resisteret voluntati, tandem placide assensit. Erat tunc, ut pro certo aiunt, dies*
- 1410 *vigiliarum celebritatis omnium sanctorum, cum rex summo mane ablutus intravit oratorium, ministrique ejus interim ex eadem aqua abluunt cæcum, inducuntque solum post regem in orationis domum. Egresso itaque rege post canonica officia ob vene-*
- 1415 *rationem omnium sanctorum festive decantata, renuntiatur ei a suis familiaribus qualiter videret ille qui erat cæcus. Intrat ergo pia curiositate ad eum in oratorio, accersitumque ad se interrogat utrum sic videat. Ille ita esse dicebat, et Deo gratias agebat.*
- 1420 *Ut autem columbinæ puritatis rex experiretur dictorum fidem, extendit manus suæ volam, et interrogat actus sui sententiam. "Extendis," inquit, "domine mi Rex, manum tuam." Rursum rex indicem et medium digitorum biccrni forma in faciem illi inferens, interrogat*
- 1425 *quid faceret, et ille responso persequitur quid videret. Tertio quoque barbam manu comprehendens, item quid faceret consulit, et ille ut erat causa in quisitam¹*

¹ *quisita* seems to be for *quæstio*, a question.

respondit. Et tunc satis scrutatum putans, paulisper procedit oratum, genuque ter flexo ante altare Deo gratias agit, cumque regia stipe suis commendat sus- 1430 tentandum quamdiu velit. Hic diutius in ejus com- moratus curia, testimonio fuit virtutis quam a Dei accepit gloria. Eodem etiam modo cuidam Lincolnæ civitatis¹ * * * * *

p. 35.

Illness of Edward.

Ubi videt fide plenus rex Æduardus ex instanti 1435 morbo urgeri se ad exitum, funeribus exequiis attitulat² se commendatione et precibus summorum Dei fidelium. Namque exemptus rebus secularis tyranni³ ex advocacione Spiritus Dei, liberius fruitur visione futurorum ex contemplatione cœlesti. Cum inter manus 1440 devotorum in funerea expectatione corpus sustentatur fragile, corporeo sopitus pondere eorum edocetur certitudine, quæ pro peccatis nostris præsentis patimur tempore. Angustiam siquidem patientis animæ cum dormiret præsentis senserunt insopito corpore, excitatus- 1445 que eisdem adeo territis hoc utitur verborum ordine. Nam ante id biduo vel amplius adeo eum languor fatigaverat, ut vix cum loqueretur quid diceret intelligi posset. "Deus," inquit, "eterne, si per te ea quæ nunc mihi revelata sunt didici, concede pariter et virtutem 1450 eadem referendi. Sin quidvis fuit fantasticum, premat me pristinus morbus ad tuum placitum." Et mox, sicut testantur hi qui aderant præsentis, tanta usus est loquendi copia, ut cuivis sanissimo nihil opus esset supra. "Nunc," inquit, "duo aderant monachi, quondam 1455 cum in Normannia adolescens essem mihi notissimi, multæ scilicet sanctitatis viri, rebusque mundanis⁴ jam multo tempore exempti, sicque ex Dei legatione me sunt affati. 'Quoniam,' inquiunt, 'hi qui in hoc regno Anglico in culmine prælationis conscenderunt, duces, 1460

His vision and prophecy of the ills to come upon England.

¹ A leaf is lost here.

² *attitulare*, i.e. *dedicare, consecrare*.

³ MS. *tyranni*.

⁴ MS. *mundadanis*.

- episcopi, et abbates, et quique sacrorum graduum ordines adepti, non sunt quod videntur esse, sed e contra ministri diaboli, tradidit Deus post obitus mei diem anno uno et die una omne hoc regnum a se
- 1465 maledictum in manu inimici, pervagabunturque diaboli totam hanc terram igne, ferro, et deprædatione hostili.' Tum ego ad illos hoc modo; 'Ostendam,' inquam, 'hæc ex voluntate Dei populo, et pœnitentibus eis Dei miserebitur propitiatio. Misertus est enim Ni-
- 1470 nivitis, cum pœniterent ad audientiam divinæ comminationis.' 'Non pœnitebunt,' aiunt illi, 'nec perveniet illis miseratio Dei.' 'Et quid,' inquam, 'erit, vel quando tantæ comminationis remissio sperari poterit?' 'Tunc,' Allegory as to when the troubles are to cease. inquirunt, 'si arbor viridis a medio sui succidatur
- 1475 corpore, et pars abscis[s]a trium jugerum spatio a suo deportetur stipite, cum per se et absque humana manu vel quovis amminiculo, suo connectetur trunco, cœperitque denuo virescere et fructificare ex coalescentis sui amore pristino, tunc primum tantorum p. 36.
- 1480 malorum sperari poterit remissio.'"
- Auditis his, qui aderant, ipsa videlicet regina terræ assidens ejusque pedes super gremium suum fovens, ejusque germanus dux Haroldus, et Rodbertus regalis palatii stabilitor et ejusdem regis propinquus, Stigandus
- 1485 quoque Archiepiscopus, cum paucis aliis quos idem beatus rex a somno excitatus advocari jusserat, terrentur nimium, utpote qui plenum de tot malis et denegata spe pietatis audierant verbum. Cunctisque stupentibus Conduct of Archbishop Stigand. et terrore agente tacentibus, ipse archiepiscopus qui
- 1490 debuerat vel primus pavere, vel verbum consilii dare, infatuato corde submurmurat in aurem ducis, senio confectum et morbo, quid diceret nescire. At ipsa regina et quorum mens Deum consueverat nosse et timere, quique per se altius audita pensare, et longe
- 1495 aliter ut par¹ erat sentire. Cognoscebant enim per sacri ordinis personas Christiani cultus religionem

¹ MS. *pars*.

Remarks
of the
author on
the wicked-
ness of the
country.

maxime violatam, hocque frequentius declamasse tum per legatos et epistolas suas Romanum Papam, tum in frequentibus monitis ipsum regem et reginam; sed divitiis et mundana gloria irrecuperabiliter quidam 1500 diabolo allecti, vitæ adeo neglexerant disciplinam ut non horrerent jam tunc imminentem incidere in Dei iram. Quæ licet ad tempus greges puniat innocuarum ovium, pastoribus et nobis qui peccavimus non est dissimulandum, quia si non punimur in tempore, timendum 1505 valde est ne peccatorum nostrorum vindicta nobis reservetur in æternitate. Sed qui et ubi sunt hi qui tanti discriminis horrorem vel perpendant sibi, vel ex officio pastoralis ascendant e diverso, et opponant se pro muro ad placandum in die tam gravis prælii? 1510

Legimus sanctum David peccasse, ejusque peccati vindictam super populum divinitus irruisse; sed quibus gemitibus, quanta afflictione, quanta cordis contritione se testatus est reum! In se Dei petiit retorqueri gladium. Unde citius et peccati promeruit veniam et a populo 1515 sævientem amovit plagam. Immensa enim Dei pietas fidelibus testatur: *Petite, et dabitur vobis; pulsate et aperietur.*¹ Sed (proh dolor) pervenerunt in nos illa gravia tempora de quibus ingemiscens ait propheta, *Et erit qualis populus talis et sacerdos.*² Sub ipsis enim 1520 ferientis Dei verberibus ad multa milia populus sternitur, regnum igne et deprædatione devastatur, hocque peccato sacerdotum fieri jamdudum demonstratum est, et nullus (proh dolor) in nobis timor vel pœnitudo vel fletus vel ad Deum clamor et pietatis petitio est. Unde non 1525 inmerito demonstratur benedicto regi a nobis migraturo revelatio, impossibilitatis ad similitudinem, inquam, nostræ infinitæ et obduratæ iniquitatis. Neque enim arborem abscis[s]am per se movere, vel semel suci sui gratia destitutam, solide trunco suo incorporari et 1530 virescere et fructificare apud homines est possibile. Nos quoque cum ob nostrorum scelerum meritum Deum

¹ S. Matt. vii. 7.; S. Luke, xi. 9.

² Isai. xxiv. 2.; Hos. iv. 9.

- videmus irasci populo, nec a nobis aliqua procedit saltem pro nobis pœnitudo vel confessio, quæ vel quando
- 1535 tantorum malorum sperari poterit remissio? Si ad nos Deus respicit, nihil (proh dolor) in nobis invenit, unde a feriendo cessare possit. Aut sero aut nunquam pœnitebit, qui beatum regem prophetico spiritu ex merito felicitatis vitæ plenum senio vel morbo er[r]asse putaverit.
- 1540 Sed cum nondum terremur ex impossibilitate prædictæ revelationis et adhuc non sedamus, vel pœnitendo vel ad Deum clamando, iram suæ indignationis, quid præstolamur præter infelicem exitum internicionis, nisi illa infinita et inæstimabilis Domini clementia, cui omnia
- 1545 sunt possibilis, solito [more] duritiam nostram præveniat illa remissione et benedictione sua gratuita.
- Omisso interim hoc fletu, redeamus ad alterum, et explicemus qualiter hæc Dei gemma terreni corporis exuerit sterquilinum, et in diademate superni regis
- 1550 æternum splendoris optinuerit locum. Adgravato ad mortem cum sui starent et flerent amare, "Nolite," inquit, "flere, sed Deum pro anima mea rogare, mihi que eundi ad Deum licentiam date. Non enim mihi ne moriar propitiabitur, qui sibimet propitiari noluit ne
- 1555 non moreretur." Ad reginam vero pedibus suis assidentem, hoc ordine extremum peroravit sermonem "Gratias agat Deus huic sponsæ meæ ex sedula officiositate servitutis suæ. Obsecuta est enim mihi devote et lateri meo semper propius astitit in loco carissimæ
- 1560 filiæ, unde a propitio Deo vicissitudinem optineat felicitatis æternæ." Porrectaque manu ad prædictum nutricium suum fratrem Haroldum, "Hanc," inquit, "cum omni regno tutandam commendo, ut pro domina et sorore ut est fideli serves et honores obsequio, ut, quo
- 1565 advixerit, a me adepti non privetur honore debito. Commendo pariter etiam eos qui nativam terram suam reliquerunt causa amoris mei, mihi que hactenus fideliter sunt obsecuti, ut suscepta ab eis, si ita volunt, fidelitate, eos tuearis et retineas, aut tua defensione

An allusion
to Archbp.
Stigand.

Last words
of Edward.

p. 38.
He com-
mends the
care of the
queen and
kingdom to
Harold.

conductos, cum omnibus quæ sub me adquisierunt, cum 1570
 salute ad propria trans[fr]etari facias. Fossa sepulchri
 mei in monasterio paretur, in eo loco quo vobis assig-
 nabitur. Mortem vero meam quæso ne celetis, sed
 celerius circumquaque annuntietis, ut quique fideles pro
 me peccatore deprecentur clementiam Dei omnipotentis." 1575
 Reginam quoque indesinenter lugentem interdum con-
 solabatur, ut insitum levaret mœrorem. "Ne," inquit,
 "timeas, non moriar modo, sed bene convalescam pro-
 pitante Deo." Nec in hoc dicto diligentem utique
 se fefellit; non enim mortuus est, sed cum Christo 1580
 victurus de morte ad vitam migravit. His itaque et
 hujuscemodi perveniens ad extremum, sumpto a cœlesti
 mensa vitæ viatico, Deo Creatori suum reddidit
 spiritum, pridie scilicet nonas Januarii, funereum et
 lugubre præsignans caput, ut ita dicamus, initiantis 1585
 anni, per quod totum corpus mensium pendere
 haberemus tribulatione languidum iri et clade multi-
 plici. Erat tunc videre in defuncto corpore gloriam
 migrantis ad Deum animæ, cum scilicet caro faciei ut
 rosa ruberet, subjecta barba ut lilium canderet, manus 1590
 suo ordine directæ albescerent, totumque corpus non
 morti sed fausto sopori []¹ traditumque signarent.
 Parantur illa funebria regio, ut decebat, sumptu et
 honore, et cum omnium infinito mœrore. Deferunt
 ejus felices exequias a domo palatii in aulam Dei, 1595
 precesque et gemitus cum psalmodiis celebrant tota
 illa die cum nocte succedenti. Orta interim die² fu-
 nestæ celebritatis, decantatione missarum et recrea-
 tione pauperum officium beatificant perficiendi funeris,
 sicque coram altare beati Petri Apostoli conditur 1600
 corpus patriæ lacrimis lotum ante conspectum Dei.
 Totum quoque a primo die tricesimum celebratione
 missarum, decantatione prosequuntur psalmodum, ex-
 pensis pro redemptione ipsius animæ multis auri libris

His death.

Appear-
ance of his
body.

Burial.

¹ A word is omitted by the scribe.² MS. *diei*.

- 1605 in sublevatione diversi ordinis pauperum. Revelatum p. 39.
 vero, ut supra texuimus sanctum adhuc viventem in
 mundo, ad ejus quoque tumbam propitia Deitas his
 signis revelat sanctum vivere secum in cœlo, cum ^{Miracles at}
 obtentu ejusdem ibi illuminantur cæci, in gressum ^{his tomb.}
- 1610 solidantur claudi, infirmi curantur, moerentes consola-
 tione Dei reparantur, et pro fide cujusque Deum invo-
 cantis insignia pietatis suæ rex regum Deus operatur.